QUÆSTIONES
DE TEMPORE QUO THUCYDIDES PRIOREM HISTORIÆ SUÆ PARTEM COMPOSUERIT.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXII. M. DECEMBRIS A. MDCCCLXXIII

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

LUDOVICUS ĆWIKLIŃSKI

GNESNENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

H. Tiedke, Dr. Philos.
L. Milewski, Cand. Philos.
G. Kaszliński, Stud. Iur. et Cam.



GNESNAE
TYPIS EXPRESSIT J. B. LANGE.
1873.

JNLUSTRI

SOCIETATI POSNANIENSI

A

CAROLO MARCINKOWSKI

AD

ADIUVANDAM STUDIOSAM IUVENTUTEM

CONSTITUTAE.

Quaestiones de tempore quo Thucydides priorem historiae suae partem composuerit.

I.

Quo tempore Thucydidis historia composita sit, ut post varias doctorum virorum opiniones iterum investigetur multos quidem optare spero, set quod ego id negotium in me suscipere ausus sim, quem ut iuvenem discere potius quam docere deceat, ne multi reprehendant magnopere vereor. etenim cum Thucydides scriptor sit densus et brevis (Quinctil. X. 1. 73) sententiisque magis quam verbis abundans (Cic. Brut. c. 7) eamque ob rem nonnunquam obscurus, et omnis quaestio Thucydidea multis impedita est difficultatibus nec de origine historiae belli Peloponnesiaci facile certius iudicium potest fieri. verum enimvero ego cum hanc quaestionem a multis quidem temptatam set a nullo enucleatam existimarem, aliquid tamen ad operis praestantissimi rectam explicationem fortasse conferre me posse ratus quod potui praestare studui, ut viris maiore ingenii et doctrinae copia instructis quasi praeluderem. antequam vero ad ipsam disputationem accedam, paucis indicabo in quam diversas partes abierit doctorum iudicium.

Fuerunt igitur qui respectis primis primi libri verbis (Θουκυδίδης 'Αθηναῖος ξυνέγραψε τὸν πόλεμον — ἀρξάμενος εὐθὺς καθισταμένου) Thucydidem belli ipsius tempore quae quotannis facta erant brevi post conscripsisse itaque paullatim opus suum perfecisse censerent. de qua sententia licet mihi esse brevissimo tanquam a doctis viris iam pridem spreta, cum primo conspectu falsam se praebeat. nam et permulta in historia Thucydidea leguntur, quae aut ipsum belli

finem renunciant aut non nisi post finem belli scripta esse possunt[1]), et est haec historia, ut omnes semper sunt professi, monumentum summo artificio factum et aliqua certe ex parte absolutum, quale esse non posset, si Thucydides frustatim et carptim bellum Peloponnesiacum narravisset. accedit quod liber octavus, cui, quoniam discrepat a ceteris et alio modo et quod orationibus caret directis, summam manum non admovisse scriptor videtur, enarratis rebus gestis anni 21 belli totum claudit opus, quamquam bellum, quod inde a Cicerone et Diodoro bellum Peloponnesiacum vulgo audit[2]), per viginti septem annos est gestum et Thucydides totum bellum cognovit; qui post eius demum finem et Athenas rediisse (Thuc. V, 26, 5) et paucos etiam annos vixisse videtur[3])

Rectius igitur scriptor alterius partis vitae, cui Marcellini nomen impositum est[4]), 47 paragrapho Thuc. l. I c. 1 p. 1 ita explicavit, ut diceret: ἀφ 'οὖ μέν γὰρ ὁ πόλεμος ἤρξατο ἐσημειοῦτο τὰ λεγόμενα ἅπαντα καὶ τὰ πραττόμενα. itaque Kruegerus[5]) et plurimi alii docti docuerunt Thucydidem post totius belli Peloponnesiaci 27 annorum, sive post a. 404 a. Chr. n., adhibuisse adversaria illa ad historiam belli universi conscribendam. quibus Ullricus obviam ivit libro: „Beitraege zur Erklaerung des Thukydides" anno 1846 edito, quo exposuit, Thucydidem statim post Niciae pacem, cum bellum ad finem esse perductum arbitratus historiam eius depingere suscepisset, annis qui secuti sunt tres primos libros et quarti dimidiam partem (47 cc. fere) paullatim confecisse, set exorto iterum bello a consilio suo destitisse, quo finito et l. II c. 65 pp. 5—13

1) Cfr. praesertim Thuc. l. I c. 1 p. 2; c. 13 p. 3; c. 18 p. 3; cc. 21—23; c. 93 p. 2; l. II c. 65 p. 5 sqq.; c. 100 p. 2; l. IV c. 81; c. 108; l. V c. 20 p. 3; c. 25; c. 26; l. VI c. 15 p. 3. l. VII c. 44 p. 1. hic vero nihil nostra interest, utrum de fine belli decennis an de fine belli 27 annorum unoquoque loco sit cogitandum. infra alia etiam capita cognoscemus. (paragraphorum numeros dedi secundum Popponis editionem).

2) Cfr. Ullrich, Beitraege zur Erkl. d. Thukyd. Hamb. 1846, adnot. 48 et 61.

3) Certe vixit usque ad a. 399. mortui enim Archelai merita eum praedicasse magna cum probabilitate coniecit Ullricus (quod quidem negat Kruegerus, Krit. Anal. p. 60). mortuus tamen est ante a. 396. cfr. Thuc. III, 116, 1. Diod. XIV, 59. Ullricum l. l. p. 92 sq., die hellen. Kriege, adnot. 160. Krueger, krit. Anal. p. 58—67. Roscher, Clio etc. p. 102 sq.. Classen, ed. II vol. I praef. p. XXX et adn. 35.

4) Hanc enim ex tribus partibus vel singulis vitis compositam esse nunc inter omnes constat. cfr. Grauert, Rhen. Mus. I p. 172 sqq. Poppo ed. min. adnot. ad vit. (ed. II).

5) Krit. Analekten (1863 a.) p. 67—70 (= Leb. d. Thukyd.) p. 121—122 (= epikrit. Nachtrag).

et c. 100 p. 2 eum adiecisse et prioris belli historiam interruptam altera quarti libri parte continuasse librosque quintum et qui secuntur de dubia pace, expeditione Siciliensi, belli Deceleici annis duobus composuisse, in perficiendo opere subita morte interceptum, ut omnes consentiunt qui de ea re aliquid memoriae prodiderunt [1]). et cum Ullrico reiecta priore illa sententia plurimi essent assensi viri, ex quibus sufficiat solos nominare Popponem et Boehmium, nuper Classenus in utriusque primi libri editionis praefatione, (p. XXXII—LIV) veterem opinionem defendere est conatus, quocum consentiunt 'A. Κυπριανὸς in dissertatione: περὶ τῆς οἰκονομίας τοῦ Θουκυδίδου et A. Welti: ueber die Abfassungszeit des Thukydid. Geschichtswerkes [2]). itaque cum totum opus post a. 404 compositum esse persuasum habeant, omnes paragraphos, ex quibus Ullricus adparere affirmavit ll. I—IV, 48 statim post Niciae pacem esse scriptos, quovis modo ita explicare studuerunt, ut non occurrant veteri opinioni, qua omnia post a. 404 demum scripta habentur, cum Ullricus summam dedisset operam, ut quam plurima verba adscribenda esse demonstraret tempori, quod post Niciae pacem est secutum. neutra vero pars recte omnino quaestionem tractasse mihi videtur; quam ob rem denuo eam sum instituturus.

Nolo autem disputandi initium inde sumere, ut quae scriptores aut grammatici antiqui de re nostra memoriae prodiderunt recenseam. nam commentos eos esse pleraque constat. accedit quod quae protulerunt ad explicandam rem nihil fere adferunt, ut Marcellini verba par. 25 et 47, Plutarchi de ex. c. 14, Ciceronis de or. II, 15, 56. immo vero etiamsi et certos et exploratos testes haberemus, quibus confidere possemus, nihilominus ne illis quidem temere esset credendum, set accuratius opus ipsum examinandum investigandumque, num quae forte contineat ex quibus etiam omissa testium auctoritate iudicium fieri possit. itaque iam nunc singula illa verba expendamus.

Ordiendum vero mihi esse videtur a primis primi libri verbis quae haec esse vidimus: Θουκυδίδης 'Αθηναῖος ξυνέγραψε τὸν πόλεμον τῶν Πελοποννησίων καὶ 'Αθηναίων; quae qui nunc legimus ita intel-

---

1) Cfr. Marcellini βίος par. 43. Pausanias, I, 23, 11. Krueger l. l. p. 58—67. Classenus de morte Thucydidis minus recte disputasse mihi videtur ed. II vol. I praef. pag. XXVII—XXXII.

2) 'A. Κυπριανὸς in annal. Φιλίστωρ, Athenis a. 1862, p. 193—210, a. 1863, p. 1—19. Weltii libellus praesto mihi non fuit. etiam Kruegerus brevi adnotatione in krit. Anal. (a. 1863 ed.) adiecta pag. 64 sq. Ullrico obloquitur. Popponis sententiam legere potes in commentatione de historia Thucydidea p. 2—7. Boehmius in edit. suae praefat. (Lipsiae, apud Teubner.) paucis de hac re disseruit.

legimus, ut bellum Peloponnesiacum 27 annorum, quod gestum est inter annos 431—404 cogitatione suppleamus. set Thucydides quo tempore hoc bellum initium ceperit, quo anno ad finem sit perductum aut incuria, aut quod non necessarium esse putavit accuratum eius initium et finem ibi iam definire, ubi non nisi generatim atque universe de eo verba facit, sperans omnes esse perspecturos id bellum Peloponnesiacum se in mente habuisse in quo enarrando studium suum collocasset, toto primo libro edicere neglexit, licet ipse pluribus huius libri capitibus et initium et finem belli respiciat [1]) et quamquam Athenienses et Peloponnesii plura secum gesserunt bella [2]). libri demum secundi verbis primis comperimus Thucydidem id bellum Peloponnesiorum et Atheniensium describere esse adgressum, quod coeptum est vere a. 431 cum Thebani clam noctu Plataeas ingressi essent, ut eas sub potestatem suam redigerent. set num communis illa fuerit Graecorum opinio ignoramus, nec verisimile est omnes Graecos ita sensisse, cum, quod Ulricus observavit, Aristophanes pacis vv. 989 et 990 belli annos numeret inde ab a. 434, quo pugnatum est inter Corinthios et Corcyraeos apud insulas quae Sybota vocabantur (Thuc. l. I cc. 47—54).

De finis autem belli anno nihil audimus ante l. V cc. 25 et 26, quamquam in praecedentibus libris persaepe belli finis diserte vocatus bellique diuturnitas praedicata est [3]). illis igitur capitibus primum scriptor notat et designat accuratius quae adumbrare sibi sit propositum; in bello, inquit, enarrando operam se consumpsisse, quod per 27 annos gestum et Athenis expugnatis clausum sit; unum enim sibi videri quamvis constans ex tribus periodis, scilicet ex τῷ πρώτῳ πολέμῳ δεκαετεῖ et ex τῇ μετ' αὐτὸν ὑπόπτῳ ἀνακωχῇ et ex τῷ ὕστερον ἐξ αὐτῆς πολέμῳ. propria haec igitur fuit Thucydidis sententia, cum vulgo duo discernerentur bella ab ipsis Graecis scriptoribus et oratoribus, ut Ullricus p. 14 sqq. ostendit, alterum quod vocamus Archidamicum, alterum Deceleicum, inter quae intercessit pax dubia qua manente Athenienses in Siciliam sunt profecti; ipse etiam Thucydides diserte has tres periodos significavit l. IV c. 81 § 2: ἔς τε τὸν χρόνῳ ὕστερον μετὰ τὰ ἐκ Σικελίας πόλεμον ἡ τότε Βρασίδου

---

1) Ad initium belli spectant l. I. c. 23 § 4; c. 24 § 5; c. 87 § 6; c. 118 § 2.

2) Duo autem potissimum fuerunt belli Peloponnesiaci nomine digna, ut Ullr. l. l. p. 61 adnotavit, scilicet illae duae expeditiones a Lacedaemoniis in Atticam factae, altera Cleomene duce a. 507, altera duce Plistoanacte a. 446.

3) Cfr. cum alia verba tum ea quae leguntur in l. I c. 13 §§ 3 et 4; c. 18 § 1; c. 23 § 1; in l. II c. 34 § 7. cfr. adnot. 1 pag. 2.

ἀρετὴ καὶ ξύνεσις. ut igitur solent compluria bella a posterioribus aetate hominibus praecipue ab historicis in unum coniungi, ita Thucydides etiam duo bella illa et pacem, quae longe plurimos aequales Thucydidis semper distinxisse est verisimile, in unum coniungenda esse cognovit et coniunxit. in verbis quidem l. V c. 26 § 2: καὶ τὴν διὰ μέσου ξύμβασιν εἴ τις μὴ ἀξιώσει πόλεμον νομίζειν οὐκ ὀρθῶς δικαιώσει nescio an non insit sententia, quam Classenus exprompsit cum diceret, plurimos homines quamquam duo bella distinguerent posterius tamen continuationem prioris habuisse. nam verbis eis numerus plane non indicatur, neque haec vel illa sententia de duobus bellis praevaluisse dicitur. at satis superque eis indicatur haut ignorasse Thucydidem, fuisse qui eis quae de bello 27 annorum in medium protulit non adstipularentur; recitare eos iubet facta ab ipso narrata [1]. itaque mirum est quodam modo quod qui persaepe primis quatuor libris de bello ὅδε ὁ πόλεμος eiusque initio et fine verba fecit (cfr. adnot 1 et 3 p. 4), nihil tamen inseruit, quo eos, qui aliter atque ipse τόνδε τὸν πόλεμον explicarent, admoneret se ipsum bellum 27 annorum in animo habuisse, cui etiam pacem incertam adnumerasset. et licet longiorem sententiae suae expositionem non aptam Thucydides habuerit quam in primo prooemio poneret, cur tamen brevis explicatio verborum ὅδε ὁ πόλεμος a primis quatuor libris omnino aliena sit iudicanda, ut Classenus contendit, equidem non video [2]. immo vero quod non posita est non potest explicari, nisi concedas Thucydidem post Niciae pacem unicum quod gestum erat Peloponnesiacum bellum decem annorum describere incohasse. idem etiam inde elucet quod in l. V c. 20 § 3 demum ea belli decem annorum adpellatio invenitur, ut respectu posterioris belli vocetur ὁ πρῶτος πόλεμος ὅδε, cum usque ad hoc caput semper ὅδε ὁ πόλεμος dictum sit; sequentibus capitibus semper a pace dubia et bello Deceleico distinguitur simili nomine adfectum atque l. V c. 20 § 3 [3]. accedit quod Thucydidem, si recte ex l. I c. 1 § 1

1) Sic enim vocabula ὡς διῄρηται intellego nisus auctoritate Stephani s. v. διαιρῶ τοῦτο, et subiectum ἔργα cogitatione supplendum esse puto.

2) Cfr. quae infra de aetate dixi qua I prooem. compositum sit.

3) l. V c. 24 § 2: ταῦτα δὲ τὰ δέκα ἔτη ὁ πρῶτος πόλεμος ξυνεχῶς γενόμενος; c. 25 § 1: ὁ δεκαετὴς πόλεμος; § 3: τὰ δέκα ἔτη; idem c. 26 § 6; c. 26 § 3: ὁ πρῶτος πόλεμος ὁ δεκαετής; l. VII c. 18 § 2: ὁ πρότερος πόλεμος; c. 28 § 2: ὁ πρότερον ὑπάρχων πόλεμος ἐκ Πελοποννήσου — unde patere censeo Thucydidem per ὅδε ὁ πόλεμος bellum 27 annorum primum intellexisse; in eis certe quae post totius belli finem adiecta sunt pro ὁ πόλεμος poni vides ὁ πρῶτος πόλεμος. quod vel maxime perspicuum fit ex l. V c. 20 pp. 1 et 3. paragrapho enim 1a Thucydides foedus, inquit, ictum esse inter Lacedaemonios et Athenienses decem fere annis

conlegimus inde ab initio belli commentarios eum quosdam confecisse, qui sibi utiles essent in componenda historia, consilium id suum verisimile est exsecutum esse statim post Niciae pacem. unde enim iam tum cognoscere potuit bellum iterum exarsurum, cum Lacedaemonii paci cum Atheniensibus factae foedus adiecissent, ita ut ambo populi ceteras civitates Graecas sub potestatem suam redigere velle viderentur, qua re Argivi Corinthii Elei Mantinei perculsi ne opprimerentur et ipsi societatem inierunt? neque exarsit bellum brevi temporis spatio, immo vero pax fuit ἐπὶ ἓξ ἔτη καὶ δέκα μῆνας (l. c. V. 25 § 3, ubi hos numeros servare malo, quam quae quidam coniecerunt recipere) tametsi haut longe Lacedaemonii et Athenienses concordes fuerunt et secum consenserunt; res igitur etiam hoc pacis tempore gestae non sunt eiusmodi, ut aliquo modo possent bellum haberi Peloponnesiorum et Atheniensium. post totius vero belli finem adgregavit bello hanc incertam pacem, quoniam aptissime ea in unam contrahuntur duo bella Archidamicum et Deceleicum, quae parvo tantum temporis spatio disiuncta erant quibusque eidem populi de imperio certaverant.

Denique, ut iam illam rem mittamus quae unicuique mira videri potest, duo inesse prooemia in uno opere quod perfectum et absolutum vulgo dicitur, scilicet l. I cc. 1—23 et l. V c. 26, quae esse potest causa qua commotus Thucydides primis alterius prooemii verbis (i. e. l. V c. 26 § 1) iterum se operis auctorem vel subsequentium etiam capitum auctorem diserte vocet (γέγραφε δὲ καὶ ταῦτα ὁ αὐτὸς Θουκυδίδης), cum totius operis initio scripsisse se historiam belli Peloponnesiaci praedicarit? dissimilia certe sunt verba quae singulorum annorum descriptioni subiuncta sunt (praeter l. II c. 47 § 1) sive ipse Thucydides ea posuit sive alius quidam homo adiecit; neque enim sine probabilitate Van Herwerden in studiis Thucydideis subditicia ea esse suspicatus est, p. 33 et 34; dico verba: πρῶτον, δεύτερον κτέ. ἔτος ἐτελεύτα τῷ πολέμῳ τῷδε (τοῦ πολέμου τοῦδε) ὃν Θουκυδίδης ξυνέγραψεν, quae nimium quantum discrepant ab verbis illis l. V c. 26 § 1, neque cum eis possunt comparari. quibus Classenus scriptorem id egisse dicit, ut et

---

post ἢ ὡς τὸ πρῶτον ἡ ἐσβολὴ ἡ ἐς τὴν Ἀττικὴν καὶ ἡ ἀρχὴ τοῦ πολέμου τοῦδε ἐγένετο, sub finem vero capitis aestatum et hiemum numeros subtiliter exsequens exacto affirmat-numero: δέκα μὲν θέρη ἴσους δὲ χειμῶνας τῷ πρώτῳ πολέμῳ τῷδε γεγενημένους. adiecta tamen altera historiae parte verba illa eam acceperunt significationem, ut indicarent bellum 27 annorum, quae significatio nobis nunc Thucydidis historiam legentibus memoria est tenenda, etiamsi paucis quibusdam capitibus parum conveniat, quibus Thucydides incuria propriam sententiam de τῷ πολέμῳ τῷδε deseruisse videtur. (cfr. quae infra de IV l. 48 c. dixi).

animos lectorum verteret ad maiorem belli periodum, si licet hoc vocabulo nostro more uti, et simul eis comprobaret ambas periodos nihil esse nisi partes unius belli individui. set haec explicatio neque recta est neque quicquam efficit. cur enim Thucydides γέγραφε καὶ ταῦτα vel simile aliquid non posuit in l. VI c. 1, quo Atheniensium Siciliensem expeditionem adumbrare incipit, aut l. VI c. 105 vel l. VII c. 18, ubi de initio belli Deceleici agit, quo exorto pax dubia ad finem pervenit?

Set mittamus iam haec. manifestum enim censeo esse Thucydidem, si statim cum scribere coepit ὅδε ὁ πόλεμος ita usurpasset, ut esset bellum 27 annorum, non fuisse adiecturum verba quae legimus in V l. 26 c. § 1, quibus etiam ea se scripsisse profitetur que secuntur; cum igitur posita sint, conicere nos licet Thucydidem in l. V c. 26 novam historiae suae partem incohasse eamque scripsisse post praecedentem.

Ad idem illud iudicium pervenimus respectis verbis singulis quae aetatis significationem quandam continent, de quibus nunc, ne manca habeatur dissertatio, quam brevissime poterimus loquemur, cum taedeat verbosum esse in eis quae iam Ullricus diligenter conlecta et magna ex parte recte pertractavit et coniectura sua nimium quantum inlustravit, et ut operae pretium sit verear diu versari in redarguendis argumentis, quae Classenus alii Ullrici sententiae opposuerunt.

Et primum quidem de I libri c. 23° et c. 1 § 1ª tractabo, quibus statim adiungam libri III paragraphos quasdam. in capitis igitur 23 § 1 belli Peloponnesiaci diuturnitas et clades eius tempore acceptae denotantur opposito bello Persico, quod duobus proeliis navalibus et duobus pedestribus finitum est. et initio illud est admonendum rectissime Ullricum animadvertisse, Thucydidem c. 23° Peloponnesiacum bellum cum Persico comparantem tam timide et pavide loqui, ut non nisi primum bellum 10 annorum ante oculos ei versatum esse videatur. toto enim bello Peloponnesiaco 27 annorum cunctae res a Graecis variis bellis gestae multo inferiores videri debuerunt unicuique et visae sunt Thucydidi, ut cognoscimus ex l. I c. 18 § 3 et c. 19 (de quibus infra sum locuturus) neque etiam in definiendo bello Peloponnesiaco eae res praedicantur, quae magis peste Atheniensium rem publicam adflictaverunt opesque minuerunt et eam ob rem totius belli 27 annorum gravitatem ac vim noxiam illustrare possent. at Classenus id non egisse dicit Thucydidem ut bellum Peloponnesiacum cum Persico compararet. quae in c. 23 § 1 de Persico bello dicta inveniantur, nihil esse nisi

initium (ausgangspunkt) eorum quae de bello Peloponnesiaco Thucydides conscripserit; quae de natura belli Peloponnesiac͵ prolata sint enumerationem tantum esse eorum, quae μετὰ τοῦδε τοῦ πολέμου ἅμα ξυνεπέθετο. vocabula igitur ἐν ἴσῳ χρόνῳ ita esse intelligenda, ut ad cuiusvis temporis idem spatium neque vero ad belli idem spatium pertinere dicamus. iam quo certius iudicium facere possimus, accuratius caput 23 est examinandum. quo Thucydides cum eminentius facere et praedicare vellet bellum Peloponnesiacum tres potissimum nominavit causas, ex quibus belli Peloponnesiaci magnitudo adpareret. et quod primo loco diuturnum bellum fuisse admonet quod describere suscepit (ita enim fere vertenda sunt vocabula ὅδε ὁ πόλεμος), non potest inde concludi bellum 27 annorum eum in animo habuisse. nam etiam de bello 10 annorum diuturnitatem is praedicare potuit, qui cum bellum Persicum cum illo, quod suscepit depingere, comparans commemoraret, non cogitavit nisi de bello duorum annorum 480 et 479 quatuor proeliis diiudicato [1]). Troianum autem bello nullo modo potest ad nostrum locum referri, quamquam decem annos duravit; ipse enim Thucydides illud inquit non fuisse bellum continenter gestum, set illorum ipsorum decem annorum spatio Graecos et agros coluisse et vicinas terras expilasse (cfr. l. I c. 11 § 1); facile et multo breviore temporis spatio futurum fuisse, ut Troia concideret, nisi qui rei frumentariae aliarumque rerum necessariarum inopia laborarent maiorem exercitus partem eo adhibere cogerentur, ut praedationibus agrorumque cultu pecuniam et frumentum pararet. (cfr. I l. c. 11 § 2 et c. 12). at bello Archidamico ipse Thucydides haec tribuit epitheta. l. V c. 24 § 2: ὁ πόλεμος ξυνεχῶς γενόμενος et l. II c. 1 § 1: ὁ πόλεμος ἐν ᾧ ξυνεχῶς ἐπολέμουν.

Quae secundo loco enumerantur mala eiusmodi sunt, ut non nisi belli tempore accidere et vel ipso tantum bello effici possint. commemorat enim scriptor urbes a barbaris et etiam a Graecis ipsis devastatas inanesque redditas et hominum multorum necem: καὶ φόνος ὁ μὲν κατ᾽ αὐτὸν τὸν πόλεμον ὁ δὲ διὰ τὸ στασιάζειν. ad has igitur res, iam vel si solum tantum sensum spectas, non pertinere perspicis verba illa § 3 fin. posita: ταῦτα γὰρ πάντα μετὰ τοῦδε τοῦ πολέμου ἅμα ξυνεπέθετο, et illud ἐν ἴσῳ χρόνῳ § 1 fin. non posse referri concedere debes nisi ad belli tempora. observavit autem rectissime, nisi fallor, Ullricus (l. l. pp. 113—115 et adnot. 140) dictas

---

1) Ut ipse concedit Classenus in adnotat. ad l. nostrum. cfr. etiam c. 18, 1 et adnotat. ad hanc par.

res aptius tribui primo quam toti bello, ad quod depingendum nescio an multo graviores accederent res [1]).

Idem etiam cadit in eas res quae tertio loco de bello Peloponnesiaco sunt praedicatae. neque enim 2 et 3 paragraphi coniungendae sunt et confundendae, ut Classenus confudit, qui verba extrema § 3: ταῦτα γὰρ πάντα μετὰ τοῦδε τοῦ πολέμου ἅμα ξυνεπέθετο ad omnes res inde ab initio paragraphi alterius narratas pertinere dicit. set pertinent tantum re vera ad τά τε πρότερον ἀκοῇ μὲν λεγόμενα κτέ. τε enim (cfr. Classenum ad l. I c. 2 § 2, c. 33 § 1) tertium vel posterius membrum persaepe apud Thucydidem admiscet praecedentibus incisionibus. ita factum est ut scriptor nostro etiam loco cum de diuturnitate belli et de malis, quae illud adduxerat, locutus esset, tertio loco adiecerit particula τε cum praecedenti narratione connexa: τὰ πρότερον ἀκοῇ μὲν λεγόμενα κτέ., quae, ut ex eorum natura necessario sequitur, aut calamitosa sunt et hominibus nocent sicuti terrae motus et siccitates et fames et pestis aut innoxia sunt, sicuti solis defectus, quorum Thucydides eam ob rem fecit mentionem, quod hominum qui tum vivebant animos vehementer commovebant et percutiebant. et has quidem res complectuntur verba: ταῦτα γὰρ πάντα μετὰ τοῦδε τοῦ πολέμον ἅμα ξυνεπέθετο. quod si quis offendat in verbo ξυνεπέθετο, quod de solis defectu non possit iuste praedicari, perpendat ceteras res noxias esse quae a Thucydide prolatae sint. praecipue autem hoc verbo usus est, ni fallor, Thucydides propter pestis commemorationem, quae extremo loco prolata aptissime dicitur ἐπιθέσθαι. et Ullricus (l. l. p. 116 sq.) etiam ex rebus tertia hac paragrapho recensitis conclusit post Niciae pacem, neque vero post a. 404 scriptum esse c. 23. desunt enim in malorum serie σελήνης ἐκλείψεις, quamquam notissimus ille lunae defectus eo tempore, cum Atheniensibus in Sicilia male res succederent, nimium quantum valuit ad totius expeditionis exitum. quod denique Ullricus a pestis commemoratione petit argumentum persuadendi quidem necessitatem non adhibet, set aliis argumentis admistum coniecturam firmat.

Conferenda autem sunt verba l. III c. 87 § 2, ubi pestis vis noxia hoc modo praedicatur: ὥστε Ἀθηναίων γε μὴ εἶναι ὅτι μᾶλλον ἐκάκωσε τὴν δύναμιν. quibus verbis et ipsis Ullricus ad corroborandam thesin suam est usus, quoniam atrocissimae calamitates quae bello Deceleico Atheniensium rem publicam adflictaverunt et damna

---

1) Quales insunt in cc. 1 § 2 — c. 22, quae, ut infra demonstravi, totum bellum 27 aa. depingunt aut certe spectant.

iacturaeque, quae civitas illo et Siciliensi maxime expeditione accepit, magis peste nocuerunt; ea enim opes Atheniensium debilitasse potentiamque destruxisse et publicas leges evertisse et fundamenta reipublicae concussisse et convellisse, ita ut et Lacedaemonii superiores discesserint neque post belli finem unquam Athenienses opes suas resarserint, quis est qui ignoret? pestis vero, quamvis permultos homines Athenis pessum dederit (cfr. l. II c. 47 § 3 et l. III c. 87 § 3, Ullricus, l. l. adnot. 135) itaque et militum numerum opesque magnopere deminuerit et animos vehementer perturbarit, nullam tamen vim tam noxiam habuit, ut ratione habita malorum quae posteriore tempore acciderunt iuste posset de ea praedicari: ὥστε Ἀθηναίων γε μὴ εἶναι ὅτι μᾶλλον ἐκάκωσε τὴν δύναμιν. immo vero cum Thucydides ipse l. VI c. 12 § 1 Niciam a. 415 initio dicentem faciat: καὶ μεμνῆσθαι χρὴ ἡμᾶς ὅτι νεωστὶ ἀπὸ νόσου μεγάλης καὶ πολέμου βραχύ τι λελωφήκαμεν, ὥστε καὶ χρήμασι καὶ τοῖς σώμασιν ηὐξῆσθαι eademque l. VI c. 26 § 2 sub eodem anno 415 verbis exprimat: ἄρτι δ' ἀνειλήφει ἡ πόλις ἑαυτὴν ἀπὸ τῆς νόσου καὶ τοῦ ξυνεχοῦς πολέμου, haut scio an recte cum Ullrico iudicem, qui et l. I c. 23 § 3 et l. III c. 87 § 2 haut multo post Niciae pacem esse conscriptas aut certe antequam civitas Atheniensis Siciliensi clade adflicta et mala belli Deceleici perpessa est statuit.

Set iam tempus est ut transeamus ad I l. c. 1 § 1, quae quin statim post Niciae pacem conscripta sit, controversia, ut equidem duco, esse non potest. missis autem quae supra de ea disputavimus in verbis: καὶ τὸ ἄλλο Ἑλληνικὸν ὁρῶν ξυνιστάμενον πρὸς ἑκατέρους τὸ μὲν εὐθὺς τὸ δὲ καὶ διανοούμενον respiciendum est vocabulum διανοούμενον quo interpretes indicari dicunt Argivos et Achaeos et Italicos ac Sicilienses Graecos. et ipse Thucydides l. II c. 9 cum socios Atheniensium et Lacedaemoniorum enumerat paragrapho 2ª diserte Argivos non fuisse belli participes commemorat, quod confirmatur l. V. c. 28 § 2 verbis: οἱ Ἀργεῖοι οὐ ξυναράμενοι τοῦ Ἀττικοῦ πολέμου. set idem Thucydides l. V. c. 44 sqq. narrat foedus et amicitiam Argivos cum Atheniensibus fecisse et cum Lacedaemoniis pugnasse (l. V cc. 57—75), victos in Lacedaemoniorum societatem optimatibus quibusdam Argivis adiuvantibus venire esse coactos; verum tamen brevi post iterum populum sive plebem superiorem evasisse, quam optimatibus superatis foedus brevi ante ruptum iterum cum Atheniensibus iunxisse (l. V c. 82 sq.) et contra Syracusas una cum Atheniensibus libenter copias misisse (l. VII c. 57 § 9). Argivos igitur non potuit intellegere noster cum diceret al-

teram Graecorum partem statim alteram deliberantem i. e. consilio belli participem fuisse, si scripsisse tibi haec videtur post belli 27 annorum finem. bene vero res se habet, si locum post Niciae pacem scriptum dicas, quod ut verum esse melius perspicias statim adiungam verba l. III. c. 86 § 2: αἵπερ (scil. Δωρίδες πόλεις) καὶ πρὸς τὴν τῶν Λακεδαιμονίων τὸ πρῶτον ἀρχομένου τοῦ πολέμου ξυμμαχίαν ἐτάχθησαν οὐ μέντοι ξυνεπολέμησάν γε. quae et ipsa post Niciae pacem haut multo conscripta esse inde statuit adparere Ullricus, quod cum Graeci Sicilienses et Italici, quamquam polliciti fuerant, prioris tamen belli tempore Lacedaemonios non adiuvissent, set altero, Atheniensium expeditio Siciliensis postquam ad irritum cecidit, classem Lacedaemoniorum auxilio misissent, Thucydides, si verba haec post belli Deceleici finem conscripsisset, certe et ἤδη praeposuisset ante τὸ πρῶτον ἀρχομένου et τότε ante ξυνεπολέμησάν γε adiecisset.

Cui Classenus nec probabilem nec satis idoneam opposuit ratiocinationem cum, quod aorista ἐτάχθησαν et ξυνεπολέμησαν ita sibi viderentur esse posita ut respondeant Germanico plusquamperfecto, enuntiatum laudatum non totum bellum set quatuor primos belli annos definire diceret, itaque idem quodam modo ex aoristi temporis natura eruere et explicare vellet, atque Ullricus a Thucydide, si bello 27 annorum cognito l. III c. 87 conscripsisset, futurum fuisse ut adponeretur coniecit i. e. τότε vel ἐς τόδε. nam licet Classenus recte in universum disputarit de natura aoristi in relativis enuntiatis positi, illud tamen non est praetereundum relativum enuntiatum, de quo nos verba facimus αἵπερ ἐτάχθησαν οὐ μέντοι ξυνεπολέμησάν γε ita cum ceteris esse coniunctum, ut ad singulum quendam annum non possit referri. sententiarum enim nexus is est, ut nullam eius enuntiati praeberet ansam nisi decem belli annorum ratione habita, quippe quod, ut notum est, ne post quintum quidem annum, sub quo illa verba leguntur, Italici et Sicilienses Graeci in bellum sint profecti. eo vero loco quo Thucydides res gestas a. 427 exponens ad adumbrandam paucis se vertit primam Atheniensium Siciliensem expeditionem ideo sunt posita, ut quam vana et inutilia fuissent Italicorum Graecorum promissa docerent, de quibus etiam l. II c. 7 § 2 ironice disseruit. quae num post belli Deceleici finem eodem modo aut omnino scripsisset, iure dubitare mihi videor. et confirmatur haec opinio eo, quod (cum iam l. II c. 65 § 12 Siculorum auxilii mentio inveniatur, quod Lacedaemoniis belli Deceleici tempore miserunt) Thucydides nostro loco non tam ambigue sine dubio esset locutus, set potius non praeteriisset commemorare, quo tempore desiissent bello abesse, si l. II c. 65

§ 12 iam ante l. III c. 86 § 2 scripsisset, sive si alterum bellum iam novisset cum l. III c. 86 scriberet. nam l. II c. 65 p. 5 sqq. scriptas esse post finem totius belli nemo potest negare. at **insertae** sunt, ni fallor, post a. 404 proprio textui ab ipso Thucydide.

Quae cum ita sint apertum esse puto et l. III c. 86 § 2 et l. I c. 1 § 1 post Niciae pacem esse conscriptas. quasnam enim nationes illud διανοούμενον (I, 1, 1) significaret nisi quos dixi Argivos et Italicos ac Sicilienses Graecos, qui primi belli consilio vel mente, alterius re vera participes fuerant?

Itaque cum iam complures primi et tertii ll. paragraphos cognoverimus, quae cum aetatis quandam significationem contineant brevi post belli Archidamici finem scriptae adpareant, ad indicia plane certa pervenisse mihi videmur, ambos libros tum temporis esse compositos. relicum est, ut plurima gravissima quae in libris secundo et quarto insunt cognoscamus et reputemus documenta.

Et respiciendae potissimum mihi esse videntur in libro II: c. 1 § 1, c. 8 § 1, c. 54 § 3 et § 4, c. 57 § 2, c. 13 § 7.

Atque ut exordiar a primis secundi libri verbis quae cum extremis I libri verbis vinculo quodam arto coniuncta sunt, Thucydides cum ad depingendum ipsum adeat belllum, ἄρχεται δέ, inquit ὁ πόλεμος ἐνθένδε ἤδη Ἀθηναίων καὶ Πελοποννησίων καὶ τῶν ἑκατέροις ξυμμάχων, ἐν ᾧ οὔτε ἐπεμίγνυντο ἔτι ἀκηρυκτεὶ παρ' ἀλλήλους καταστάντες τε ξυνεχῶς ἐπολέμουν. quae verba scripta esse in aperto est cum Thucydides totum bellum Peloponnesiacum aut nondum novisset aut certe describere nondum in mente habuisset; continenter enim bellum gestum esse dicitur, ad quod describendum historicus adit; continenter autem non est gestum nisi bellum decenne; totum bellum pace dubia septem fere annorum interruptum neque est continenter gestum neque etiam eam ob rem ab omnibus unum habitum esse supra iam audisti, ubi Ullricum l. l. p. 14 sqq. recitare te iussi, quibus quot et qui scriptores antiqui de duobus bellis loquerentur nobiscum communicavit. num igitur putas tam ambigue historicum locuturum fuisse, si ὅδε ὁ πόλεμος inde ab initio ea significatione usurpasset ut esset bellum 27 annorum? recorderis velim verborum, quae iam Ullricus laudavit et ego adpono: l. V c. 24 § 2. ταῦτα δὲ τὰ δέκα ἔτη ὁ πρῶτος πόλεμος ξυνεχῶς γενόμενος γέγραπται et l. VI c. 26 § 2: ἄρτι δ' ἀνειλήφει ἡ πόλις ἑαυτὴν ἀπὸ τῆς νόσου καὶ τοῦ ξυνεχοῦς πολέμου. quibus, cum scripta sint postquam Thucydides totum bellum cognovit, doceris eum quamvis gnarum totius belli primo bello idem tribuere epitheton atque in l. II c. 1 paragrapho 1ª. tantum igitur abest ut Classenum recte dispu-

tasse contra Ullricum concedam, ut mirer eum illi non esse adstipulatum. adfirmat autem Classenus alienam esse ab hoc loco totius belli definitionem; scriptorem expressisse sibi videri quibus rationibus et condicionibus bellum exortum sit, cum ἐν ᾧ non ad ὁ πόλεμος set ad ἐνθένδε ἤδη sit referendum, quod inlustretur capite 2° (cfr. vol. I praef. p. XXXVI) [1]. et exempla adfert ex Thucydidis historia petita quibus ἐν ᾧ eodem modo usurpatum invenitur, quasi quis negare vellet ἐν ᾧ et posse ita usurpari et esse saepius ita usurpatum. at in capite nostro et tam aperte ad ὁ πόλεμος spectat, ut nisi nimia quadam et inopportuna arte ad aliud vocabulum non possit referri, et, si cum ἐνθένδε ἤδη coniungitur, ut tota paragraphus ineptum sensum praebeat efficit. is enim evadit sensus, ut quod ipso bello effectum est, hoc scilicet quod Athenienses et Lacedaemonii non nisi per caduceatores conveniebant, ita praedicetur ac si initium belli definiret. nec minus reiciendum quod Classenus, nisi ipsius illi explicationi accedas, respicere te iubet, ut quam tibi cum aliis comprobare studet de Thucydideae historiae aetate opinionem rectam esse perspicias. cum enim, ut modo vidimus, bellum Archidamicum a Thucydide saepius et maxime respectu subsequentis temporis continenter gestum (ξυνεχής) adpelletur, nostro etiam in capite verba ἐν ᾧ καταστάντες ξυνεχῶς ἐπολέμουν dicta esse contendit respectu pacis dubiae et belli Deceleici. verumenimvero haec conclusio contra leges logices, nisi fallor, est facta. set fac bonam eam esse; efficeretur verbis l. II c. 1 § 1 Thucydidem quamvis gnarum totius belli longissimi solum Archidamicum describere et sumpsisse et incohasse.

Ex capitis 8 par. 1ae verbis: ὀλίγον τε ἐπενόουν οὐδὲν ἀμφότεροι ἀλλ' ἔρρωντο ἐς τὸν πόλεμον οὐκ ἀπεικότως. ἀρχόμενοι γὰρ πάντες ὀξύτερον ἀντιλαμβάνονται certius aliquid non posse erui mihi videtur. itaque statim transeo ad c. 54 § 3 et 4, quibus Thucydides loquitur de verbis ab oraculo quodam de λοιμῷ aut λιμῷ missis, qui una cum bello quodam Dorico venturus sit, et de oraculo quod Apollo edidit initio belli Peloponnesiaci, cum Lacedaemonii Delphos consultum misissent. et Ullricus quidem (pp. 72—78) Thucydidem ita oraculorum rationem habuisse docuit, ut quae cuiusque fuisset vis in homines aptis indicaverit locis; eum ipsum persuasum habuisse videri, oraculornm edicta non assis esse facienda. quae opinio

1) Ipse tamen sibi non constat qui in adnot. ad l. II c. 1 (vol· II pag. 3) haec docet: „ἐν ᾧ weder auf ὁ πόλεμος, noch auf ἐνθένδε ἤδη zu beziehen, sondern nach Th.'s sprachgebrauch (vgl. 1, 39, 3. 42, 2. 122, 1) an den ganzen satz angelehnt, als coniunction der umstände zu fassen: wo denn, da."

firmatur compluribus Thucydidis verbis, ut l. II c. 17, c. 21 p. 3, c. 47 § 4. et in eorum numerum referas c. 54 § 4, qua Thucydides ita loquitur, ut videatur censuisse non recte vulgus morbi pestilentia perterritum et perculsum metuisse ne Lacedaemonii superiores discederent. non possunt igitur verba scripta esse nisi multo ante Athenarum expugnationem sive belli Deceleici finem, quod etiam profiteri debes de paragrapho 3, cuius verba extr. ἦν δέ γε οἶμαί ποτε ἄλλος πόλεμος καταλάβῃ Δωρικὸς τοῦδε ὕστερος καὶ ξυμβῇ γενέσθαι λιμὸν κατὰ τὸ εἰκὸς οὕτως ᾄσονται aperte docent, cum scriberentur ignotum fuisse scriptori belli Deceleici exitum. Athenienses enim cum eo bello Dorico quod post a. 430 (sub quo illa dicta sunt) gestum est, i. e. bello Deceleico, fame ita opprimerentur, ut sese dedere Lacedaemoniis sint coacti, nescio an tum cecinerint oraculum idem mutato vocabulo λοιμὸς in λιμός. Thucydides certe l. II c. 54 § 3 diserte significasset illam famem non esse intelligendam, si eam novisset. neque enim video cur de nulla alia fame cogitare possimus quam de fame divinitus missa, quam solam nobis vult inculcare Classenus. et omnino haereo quid valere dicam discrimen factum inter pestiferos morbos et famen divinitus missa et inter morbos et famem quae bellum secum adduxit. accedit quod Athenis expugnatis omnibusque paene viribus civitatis consumptis Thucydides de futuro quodam bello Dorico cogitare non potuit, quaecunque Classenus contra disputat.

De reliquis duabus huius libri paragraphis, de quibus disputaturum me esse pollicitus sum, licet mihi esse brevissimo. et altera quidem paragraphus c. 57, qua Thucydides secundam Peloponnesiorum invasionem omnium maxime fuisse longinquam statuit, bene a Classeno est explicata in ed. II vol. I praef. p. XXXIX sq., qui Deceleae munitionem ταῖς ἐσβολαῖς non esse adnumerandam recte contra Ullricum observavit. itaque non debuit proferre alteram illam paragraphum, quae est 7 capitis 13. cuius verba prima: τοσοῦτοι γὰρ ἐφύλασσον τὸ πρῶτον ὁπότε οἱ πολέμιοι ἐσβάλοιεν non possunt opposita haberi Deceleae munitioni, siquidem haec non fuit ἐσβολὴ set ἐπιτειχισμός. nihil vero prohibet quin suspiceris, Athenienses post duas aut tres invasiones custodum numerum imminuisse. quin etiam factum hoc esse veri videtur simile, cum Athenienses brevi temporis spatio perspexissent non esse opus 16 milia militum gravis armaturae loco natura atque arte firmissimo custodes imponere.

Restat ut de libro IV verba faciamus.

In eius libri c. 48 § 5 sub finem narrationis quam Thucydides de seditione Corcyraea instituit haec leguntur: καὶ ἡ στάσις

πολλὴ γενομένη ἐτελεύτησεν ἐς τοῦτο, ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε. quae verba aut ipso a. 410 aut brevi post scripta esse primus cognovit Ullricus ex Diodori l. XIII c. 48, quo iterum illo anno in Corcyra motus exstitisse feruntur. qua re elucere ex eis contendit Ullricus, Thucydidem ne tum quidem historiam totius belli enarrare in mente habuisse, cum sibi esset ὅδε ὁ πόλεμος bellum decem annorum. cui ratiocinationi Classenus ita est oblocutus, ut Diodoro fidem tribuendam esse omnino negaret, quippe qui bis et l. XII c. 57 sub a. 427 et l. XIII c. 48 sub a. 410 ea de Corcyraeorum dissensionibus enarraret, quae tum Thucydideae narrationi dissimilia (l. III cc. 70—85 et l. IV cc. 46—48 sub a. 427 et 425) tum omnino non essent verisimilia. nititur autem iudicio Wachsmuthii (gr. alterth. I, p. 2 p. 219) Muelleri (de Corcyraeor. republ., Gottingae 1835 p. 33) Niebuhrii (vortr. ueb. alte gesch. 2 p. 83), qui Thucydideis verbis evinci existimabant, post totius belli Peloponnesiaci finem sive post a. 404 in Corcyra motus quosdam esse concitatos. nec tamen debuit Classenus horum iudicio niti. praeclarissimi enim viri illi conscripserunt libros suos antequam Ullricus de Thucydidis historiae origine eximiam suam commentationem in lucem protulit. adde quod etiam de fontibus eius Diodoreae historiae partis quae huc adtinet non recta sentiebant. de quibus primi accurate et attente uno eodemque tempore duo disseruerunt viri: Volquardsenus et Collmannus [1]). quos secutus est Frickius [2]) qui Volquardseni et Collmanni disputationum summam propterea videtur mihi emendasse quod Diodori l. XIII cc. 36 et 37 (pag. 215 l. 28—217, 26 ed. Bekker) et cc. 42 sqq. (p. 221, 24 sqq.) — l. XIV c. 10 Theopompo tribuit. cum tamen a proposito nostro alienum sit accuratius in eam rem inquirere, sufficiat id unum commemorare Diodorum bonos auctores esse secutum et in bello quidem Peloponnesiaco describendo Ephorum et Theopompum. nam quae Volquardsenus l. c. VIII cap. p. 67—71 et 126—129 in medium protulit, ut quae indicare viderentur, Diodorum capitibus quibusdam historiae suae Theopompum excerpsisse, non Theopompica set omnino Ephorica esse indicia ostenderet, quin optime a Frickio refutata esse (l. l. p. 10—14) concedas non dubito. iam igitur, ut exemplum unum proferam, cum apud Diodorum in l. XII cc. 34 et 38—41 eadem

---

1) Volquardsen, untersuchungen über d. quell. d. griech. u. sicil. geschicht. bei Diodor, buch XI—XVI, Kiel 1868. Collmann, de Diodori Siculi fontibus, diss. inaug. Marburgensis a. 1868.

2) Fricke, untersuchungen über die quellen des Plutarch im Nikias und Alkibiades cet. Lipsiae 1869.

narrentur atque cc. 36 et 37 et 42 sq., altera pars Ephoro altera Theopompo tribuenda esse videtur, cui suspicioni mire favent capita illa l. XII, 57 et l. XIII, 48 quibus Corcyraeae seditionis historia datur. etenim altera illa rerum in Corcyra a. 410 gestarum expositio ita est comparata quasi prima non praecesserit. ad quam sententiam fulciendam non contemnendum praesidium petendum est ex verbis Diodori p. 230 l. 2—5: δοκοῦσι γὰρ οἱ μὲν ἀναιρεθέντες ὑπ᾽ ἀλλήλων πρὸ ταύτης τῆς στάσεως γεγονέναι περὶ χιλίους καὶ πεντακοσίους καὶ πάντες οὗτοι πρωτεύοντες τῶν πολιτῶν, quae Diodorus quasi de prima seditione nihil narrasset neglegentius desumpsit, ni fallor, ex Theopompo, qui libro suo Ἑλληνικαὶ ἱστορίαι sive σύνταξις Ἑλληνικῶν Thucydidis opus cum continuasset quae in Corcyra annis 427 et 425 facta erant adumbrare non potuit set breviter attigit, cum de dissensione et bello civili anni 410 verba faceret.

Set licet haec dubia sint; certius tamen iudicium est de prima Diodori narratione in l. XII c. 57, quam et ex Ephoro esse desumptam inter omnes constat neque quicquam praebere non nemo debet concedere, quod cum Thucydidis narratione l. III cc. 78—85 pugnet. Diodorus tamen, ut levissimum eum scriptorem fuisse haut quisquam ignorat [1]), qui neglegentissime quae proponit ex auctoris, quem est secutus, libro excerpsit, ita etiam in c. 57 l. XII narrationem ipsam non absolvit, set, ut aliis locis, gravem eius partem omisit et ea quidem quae Thucydides l. III cc. 75—79 et l. IV cc. 46—48 tradit.

Quod ne temere me iactasse putes, conferas quae similis incuriae et levitatis duo proponam exempla, quibus qui attente legunt asteriscum suum, ut ita dicam, non addere non debent.

Diodorus igitur l. XII c. 56 cum Plataearum enarret obsidionem, postquam Plataeenses complures fugisse Lacedaemonios perhibuit, pergit ita ut post verba τῇ δ᾽ ὑστεραίᾳ [2]) Λακεδαιμόνιοι μὲν παροξυνθέντες ἐπὶ τῷ δρασμῷ κτἑ. rem totam paucissimis con-

---

1) Brevitatis causa testem non adhibeo nisi Volquardsenum l. c. pag. 1 adnot. 1, et quos ille laudavit.

2) Illud τῇ δ᾽ ὑστεραίᾳ profectum esse puto, cum Diodorus neglegenter ex commentariis suis exscriberet quod adnotaverat: τῷ δ᾽ ὑστέρῳ ἔτει. stetitne hoc aput Ephorum? an argumentum inde eius sententiae capere mavis, ut Diodorum Thucydidem quoque exscripsisse aut adhibuisse certe dicas, cum accuratissimum eorum consensum nonnemo qui ambos attentius comparat deprehendere possit? set ne temere ob talem similitudinem Thucydidem etiam fontibus Diodori addamus, cohaerent fortasse inter se interposito Ephoro, ut contendit Volquardsenus, quamvis ab illo rem diiudicatam esse negem, quae certo haut unquam fortasse poterit diiudicari.

ficiat; Thucydidem multa gravia referre vides l. III cc. 20—24 (sub a. 428) et l. III cc. 52—68 (sub a. 427).

Alterum magis dilucidum exemplum praebet Diodorus c. 63 (p. 156, 30—157, 3) qui Cleonis Pyliam expeditionem totam fere silentio praetermittit, cum nullis nisi his verbis Cleonis mentionem faciat: οὗτοι μὲν οὖν ὑπὸ Κλέωνος τοῦ δημαγωγοῦ στρατηγοῦντος τότε δεθέντες ἤχθησαν εἰς τὰς Ἀθήνας.

Nec tamen probabilia haec esse possunt documenta sententiae a Classeno pronuntiatae, Diodoream relationem de Corcyraea seditione pro nihilo ducendam et despiciendam esse. nova vero consilio Diodorum finxisse, num tibi sunt argumenta praesto quibus demonstrare possis? an falso loco Diodorus narrationem illam posuisse tibi videtur? ne erres vereor. Conon enim a Diodoro loco de quo agitur in Corcyram Naupacto profectus esse fertur, ubi eum iam anno 413 aput Thucydidem l. VII c. 31 § 4 conspicimus.

Set mittamus haec. patet enim Classenum ea tantum de causa Diodoream relationem in dubitationem vocasse, ut opinionem suam de Thucydideae historiae compositione quovis modo defenderet. itaque nos et Diodorum, qui Theopompum secutus esse videtur, de altera Corcyraea seditione vera memoriae prodidisse et Thucydidem ratione eius seditionis habita quae legimus l. IV c. 48 § 5: ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε post a. 410 et ita quidem scripsisse perspectum habemus, ut ὅδε ὁ πόλεμος significaret bellum decem annorum.

Eo igitur iam nunc fortasse progredi nos oporteret, ut scrutemur num sine dubitatione accipienda sint quae Ullricus protulit, ut verba undecim annis post Niciae pacem scripta esse explicaret. aptior tamen infra erit locus ei quaestioni. hic vero cum quaestionem de aetate historiae Thucydideae ita iam enodaverimus, ut complures locos primorum quatuor librorum, de quibus uberius egimus, scriptos esse videamus, cum Thucydides aut non cognovisset alterum bellum aut certe describendi eius consilium non cepisset, ratione etiam eorum subducta, quae initio commentationis in universum de significatione ὅδε ὁ πόλεμος et de prooemiis disputavimus, conligere fortasse licet cum Ullrico, totam priorem historiae partem, quae est de bello Archidamico et usque ad l. V c. 24 pertinet, scriptam esse tempore quod post Niciae pacem est secutum. quamquam complura insunt verba in quatuor primis libris et priore V l. parte, quae aut notitiam quandam rerum primis annis belli Deceleici gestarum produnt aut non scripta esse nisi post a. 404 aliquo modo intellegis. quorum nonnulla ipse

Ullricus iam cognovit, ut l. II: c. 65 §§ 5—13. c. 100 § 2, l. IV: c. 48 § 5, c. 81 § 2 et 3, c. 108 § 4; alia aut omnino praeteriit aut non recte explicavit.

II.

Sic igitur inscii pene in alteram quaestionis partem delapsi sumus. eo enim iam pervenimus ut retractatam esse priorem historiae Thucydideae partem docendum nobis sit. et primum quidem id in deliberationem cadit quod Ullricus neglexit, monuit Classenus; dico verba quae aput Thucydidem in l. I. c. 97 § 2 legimus. ea post a. 406 scripta esse ex Hellanici eiusque operis quod Ἀτθὶς vulgo audit [Thucydides τὴν Ἀττικὴν συγγραφὴν appellat] mentione facta cognoscimus. in hoc enim opere pugna aput Arginusas commissa commemorata erat, ut compertum habemus ex scholiis conscriptis ad Aristophanis Ranarum v. 706 [1]). itaque certum est post hunc annum et Hellanicum opus suum et Thucydidem c. 97 et quae secuntur composuisse et edidisse. quod cum mecum reputans accuratius ea quae praecedunt et quae secuntur capita inspicerem, intellexi cc. 97—118 § 2 (ἐν οἷς Ἀθηναῖοι κτἑ) proprio textui a Thucydide posteriore tempore esse adiecta. quae continent brevem Atheniensis vel Graecae historiae adumbrationem, quae inde a fine belli Persici usque ad Peloponnesiacum pertinet. quinquaginta igitur circiter annorum historiam complectuntur, quam ob rem vulgo breviter πεντηκονταετεία vocantur. et haec quo nunc stat loco iam pridem movit mihi quendam scrupulum. itaque ne sine causa offendisse me in ea existimes, libri primi argumentum et narrationis tenorem quantum potero explanabo.

Totum primum librum tribus ex partibus constare vulgo statuunt [2]). prima pars est praefatio, qua scriptor cum de operis sui natura quid sentiendum sit exponit, tum de antiqua Graecarum rerum condicione insignem praebet imaginem, unde tota haec pars ab scholiasta archaeologiae Thucydideae nomine ornatur. alteram partem efficere dicuntur cc. 88—118, quibus scriptor et quomodo Athenienses principatum optinuerint et quae res in Graecia inde a fine belli Persici gestae sint adumbrat, cui

---

[1]) Cfr. Müller, frgm. hist. Graecor. I, 25, 2. Böckh, Staatshaushalt d. Ath. I, 366.

[2]) Roscher, Clio oder leben cet. d. Thuk. XIII. cap. p. 375 sqq.

narrationi vulgo exordii (einleitung) nomen tribuitur. tertia parte accuratissime et uberrime exponit, quibus de causis et quo modo Lacedaemonii et Athenienses bellum susceperint, cui expositioni subiuncta sunt ea quae decreto a Lacedaemoniis bello et Lacedaemone et Athenis facta dictaque erant (cc. 24—87, 119—146). Dionysius igitur Thucydidem vituperavit, quod altera pars eo loco est posita, ut tertiam iterum in duas partes dividat. Roscherus Thucydidem defendere studet rem his verbis explicans, ut ipsa Germanica eius verba adponam: „doch wird der leser eben hierdurch auf echt dramatische weise gleich mitten in die sache geführt.“ verum tamen eiusmodi verbis, licet ex parte recta Roscherus expresserit, res ipsa neque expeditur nec potest absolvi. et rectum quidem hoc est quod Thucydides, qui hoc uti solet scribendi genere, ut non narrari quae gesta sunt, set rem geri pene persaepe videas, primo etiam libro quae adumbrare constituerat ita composuit, ut singulae eorum partes actus quasi quidam poëmatis scenici adpareant. itaque quamquam iam § 6[a] c. 23 edixerat quae verissima sibi videretur belli causa (Athenienses dicit ad tantas opes tantamque potentiam ascendisse ut metum Lacedaemoniis incuterent ne opprimerentur), inde tamen a c. 24 non de illa causa set de ταῖς ἐς τὸ φανερὸν λεγομέναις αἰτίαις copiose tractavit, capitibusque 67—87 ea iam enarravit et praeclaris orationibus illustravit, quae in concione Lacedaemoniorum acta et dicta erant usque ad id temporis momentum quo Lacedaemonii longe plurimis suffragiis bellum decreverant. capite demum 88 ad verissimam illam causam belli exponendam ita adit, ut capitibus 88—97 init. agat, qua ratione quoque modo Athenienses et urbem suam eiusque portum muniverint et opes maritimas compararint et principatum optinuerint, sive, ut Thucydidis verbis utar c. 89 § 1 (οἵῳ τρόπῳ) ἦλθον ἐπὶ τὰ πράγματα ἐν οἷς ηὐξήθησαν. et Classenus quidem adnot. ad h. verba adscripta contendit ad historiam illius αὐξάνεσθαι vertere se Thucydidem c. 97. set minus accurate verba ipsa scriptoris respexit. Thucydides enim, qui res pluribus narratas semper ita soleat conficere et absolvere, ut sub finem narrationis omnes res paucissimis verbis unum sub aspectum subiciat, etiam c. 118 § 2 summam pentecontaetiae hanc praebet: ταῦτα δὲ ξύμπαντα ὅσα ἔπραξαν οἱ Ἕλληνες πρός τε ἀλλήλους καὶ τὸν βάρβαρον κτἑ. itaque nemo debet non concedere Thucydidem ipsum Graecam non solam Atticam historiam nobiscum communicasse se profiteri. quid vero haec ad rem? neque igitur Roscherum debuit effugere miram esse quodammodo pentecontaetiam eo quo stat

loco. Thucydides certe ipse eius initio, c. 97 § 2, nominatim se excusat quod ad singulas res gestas quinquaginta illis annis adumbrandas accedat eamque adumbrationem excessum sive egressionem nominat, ut his Quinctilianeis vocabulis Thucydideam ἐκβολὴν τοῦ λόγου vertam, quam ut faceret ea re se esse commotum commonefacit, quod ea tempora nullus fere scriptor tractaverit, qui vero tractavit, nempe Hellanicus, brevissime nec diligenter aut accurate descripserit. unde id sane apertissimum mihi esse videtur pentecontaetiam ipsam i. e. cc. 97—118 neque praecipuis et principibus, ut ita dicam, I l. partibus adnumerandam neque eo consilio a scriptore confectam esse habendam, ut τὴν ἀληθεστάτην τοῦ πολέμου πρόφασιν inlustret. et etiam extrema c. 97 verba id confirmant: ἅμα δὲ καὶ τῆς ἀρχῆς ἀπόδειξιν ἔχει (sc. αὐτὰ i. e. hist. 50 ann.) τῆς τῶν Ἀθηναίων ἐν οἵῳ τρόπῳ κατέστη. nam ἅμα δὲ καὶ manifestat aliud consilium primam fuisse et gravissimam causam, cur Thucydides historiam 50 ann. interponeret. set cum haec ad cunctos Graecos pertineat, sequitur necessario, ut maxime etiam doceat, quo modo Atheniensium opes tantopere sint auctae, quoniam Athenienses omnium illius temporis expeditionum nisi erant auctores, participes erant. accedit quod neque cc. 97—118 eo, qui dicto consilio responderet, modo sunt scripta neque quicquam in illis de verissima belli causa audis diserte. quod sine dubio Thucydides significasset, neque vero excusationem illam protulisset, aut certe c. 88 eam posuisset, neque omnino duas singulares set unam partem conscripsisset. respicias autem deinde velim duas illas partes parum apte esse connexas. c. 96 § 2 enim tributum 460 talentorum commemoratur et Kirchhoffius praeceptor inlustrissimus eruit nuperque me docuit inde demum a pugna aput Eurymedontem fluvium commissa (a. 469: Kruegerus, a. 465: Schaeferus et Piersonus) pensitasse socios 460 talenta. et tamen cc. 98 et 99 res adumbrantur quae gestae sunt ante pugnam Eurymedonticam, cuius mentio fit c. 100 § 1: ἐγένετο δὲ μετὰ ταῦτα καὶ ἡ ἐπ' Εὐρυμέδοντι — πεζομαχία καὶ ναυμαχία Ἀθηναίων κτέ.

Itaque cc. 97—118 interrumpunt quodammodo narrationis tenorem et turbant singularum partium dispositionem et seriem, ut equidem censeo. cuius opinionis aliud etiam haut spernendum praesidium petendum est a verbis paragraphi 2ae c. 118, quibus Thucydides, quod nescio cui non possit molestum videri, et Athenienses re publica opibus multis instructa ad magnam potentiam pervenisse et Lacedaemonios raro nec nisi coactos impedivisse eos statuit quominus res eis prospere succederent et similia quaedam

adicit, ac si non praemissa esset expositio de Atheniensium et Lacedaemoniorum rebus gestis.

Denique respiciendum mihi videtur, quod modo iam adtigi, pentecontaetiam nullo pene vinculo cum ceteris capitibus cohaerere, ita ut optime eximi possit sententiarum nexu non turbato nec vocabulorum pene ordine mutato. conicio igitur in primo Thucydideo opere haec fere olim scripta fuisse: ἡγούμενοι δὲ αὐτονόμων τὸ πρῶτον τῶν ξυμμάχων καὶ ἀπὸ κοινῶν ξυνόδων βουλευόντων (c. 97 § 1) ἐν ἔτεσι πεντήκοντα μάλιστα μεταξὺ τῆς Ξέρξου ἀναχωρήσεως καὶ τῆς ἀρχῆς τοῦδε τοῦ πολέμου (hic praetereo verba ἐν οἷς Ἀθηναῖοι) τήν τε ἀρχὴν ἐγκρατεστέραν κατεστήσαντο κτέ. (c. 118 § 2).

Haec quamvis levia fortasse et minuta non indigna censui quae scrutarer et indagarem, nequis in suspicionem incideret etiam cc. 88—96 una cum 97—118 a primo opere aliena esse iudicanda. facile enim aliquis ut hoc credat adduci potest verbis l. I c. 93 § 5, quae sic tradita sunt: καὶ ᾠκοδόμησαν τῇ ἐκείνου γνώμῃ τὸ πάχος τοῦ τείχους ὅπερ νῦν ἔτι δῆλόν ἐστι περὶ τὸν Πειραιᾶ. de quibus certius iudicium haut scio an non possit fieri. disceptatur autem, utrum murum deletum an integrum indicent. mihi quidem Ullricus in universum recte disseruisse videtur, qui l. l. adn. 163 p. 143 haec proposuit: „Thukydides hebt nämlich auch in anderen stellen durch νῦν ἔτι oder ἔτι καὶ νῦν die fortdauer eines früheren in einer für unsere auffassung entbehrlichen weise nachdrücklich hervor und zwar so, dass dadurch wie hier eine zweideutigkeit entstehen kann.“ cuius usus cum multa exstent aput Thucydidem exempla, quae diligenter conlegit Ullricus, nobis unum adferre sufficiat ex eiusdem c. 93 initio petitum, ubi cum haec legantur: καὶ δήλη ἡ οἰκοδομία ἔτι καὶ νῦν ἔστιν ὅτι κατὰ σπουδὴν ἐγένετο supervacaneum et pene ambiguum est ἔτι καὶ νῦν. et imperfecta quoque quae primo aspectu offendunt, si cum Ullrico putamus verba illa scripta esse respectu muri integri, nihil praebent re vera offensionis. cum enim dicit: δύο ἅμαξαι ἐπῆγον subicit sub oculos et repraesentat quasi quodammodo Thucydides exaedificationem ipsam. et etiam quod brevi post legimus imperfectum ἦν nihil habet quod miremur. in l. I enim c. 63 de Olyntho legimus: ἀπεῖχε δὲ (ἀπὸ τῆς Ποτιδαίας scil.) ἑξήκοντα μάλιστα σταδίους, cum tamen idem maneret semper spatium. et l. II c. 13 § 7 similia sunt verba: τοῦ τε γὰρ Φαληρικοῦ τείχους στάδιοι ἦσαν πέντε καὶ τριάκοντα πρὸς τὸν κύκλον τοῦ ἄστεος κτέ. explicare autem hunc usum ita te oportet, ut dicas, altero loco positum esse imperfectum ἀπεῖχε respectu auxiliarium qui Olyntho Potidaeam proficiscebantur, altero loco ἦν respectu

excubiarum quas agebant stationes dispositae per murum Phalericum. ea igitur videtur esse ratio horum imperfectorum, ut regionum descriptiones vel similes definitiones in narrationem transferantur, sive ad res vel actiones narratas trahantur. quod Kruegerus etiam expressit verbis (krit. anal. p. 71): „(dass) der Grieche in der erzählung oft das unveränderliche oder unveränderte durch ein imperfect ausdrückt, nur die beziehung auf das eben dargestellte ereigniss berücksichtigend."

At tamen pro certo adfirmare non ausim murum integrum verbis nostris indicari. immo vero contrarium veri videri simile non poterit non opinari qui, quod Classenus observavit, perpendet discrimen, quale intercedit inter nostra verba et alia, praesertim paragraphum 2^{am}. qua Thucydides urbis murum celeriter aedificatum esse inde adparere dicit, quod in fundamentis, quae exstent, lapides insint varii et diversi, nonnullis locis ne politi quidem. τεκμήριον igitur est hoc loco, ut Thucydidis vocabulo utar, quod nullus invenitur delectus saxorum et ceterae materiae, quae aedificiis habilis est. at nostro loco, i. e. § 5, enuntiatum δύο γὰρ ἅμαξαι κτέ. muri Piraei crassitudinem non confirmare, animadvertit Classenus. et addit, integri muri crassitudinem unumquemque perspicere potuisse, ita ut Thucydides (si credis eum nondum deleto muro § 5 conscripsisse) non adiecisset δύο γὰρ ἅμαξαι κτέ.; deleti vero muri cum non facile esset crassitudinem cognoscere, Thucydidem quae ex contemplatione ruinarum eruere potuerit ita proferre, ut quo modo murus constructus sit doceat. at equidem quo quis modo ex ruinarum contemplatione percipere possit, qualis ratio fuerit condendi aedificii vel muri, non intellego. sin ab aliis eam Thucydides didicit, quid sibi vult νῦν ἔτι, quod, si Classenum sequeris, propriam neque illam a Thucydide vulgo usurpatam habet significationem? mihi igitur, quamvis non neglexerim Classeni adnotationem, verba pertractata murum integrum indicare videntur.

Set utut de eis sentis, compr bare tamen non poteris cc. 88–97 una cum c. 97—118 primo operi esse abiudicanda. etiamsi enim persuasum habeas l. I c. 93 § 5 murum deletum significare et post Athenarum expugnationem scriptam esse, inde tamen non sequitur, ut etiam ea quae praecedunt et secuntur capita et scripta eodem tempore et cum illa paragrapho postea demum interiecta a Thucydide habeas. quae in primo opere scripta fuisse, necesse esse ut credamus, supra demonstrasse mihi videor. itaque si legens c. 93 § 5 de muro deleto cogitas, credere te oportet huic etiam loco secundam manum admovisse Thucydidem.

Retractasse enim et novis capitibus admixtis amplificasse Thucydidem belli Archidamici historiam aut certe partem eius et ex cc. 97—118 cognovimus et ex pluribus capitibus cognoscemus, quae addita esse ostendam cum Thucydides opus suum limaret. pauca autem additamenta, quae in perpoliendo opere adiecisse suspicor Thucydidem, tale aliquid continent, ut inde de aetate ipsorum coniecturam facere possis. itaque iam hoc loco, ne in arrogantiae crimen incurram, quippe qui tantum mihi sumpserim, ut quae primo operi, quae retractato tribuenda sint edicere audeam, confitear necesse est me vereri, ne de incerta quaestione audacius quam verius disputem. verum tamen rectiore quam alii via operam dedisse et pauca quaedam exprompsisse mihi videor, quae ad recte explanandam quaestionem de Thucydideae historiae origine conferunt, nisus auctoritate Ad. Kirchhoffii[1]), praeceptoris veneratissimi et praestantissimi, qui et ipse in commentatione de Herodoti opere nuper conscripta priorem historiae Thucydideae partem post Niciae pacem conscriptam, cum altera pars adiceretur retractatam esse declaravit.

Ut ad ipsam rem transgrediar, incipiam a prooemio quod pertinet inde a 1 c. usque ad c. 23 l. I. in quo prooemio Kruegero caput 22 eo quo nunc stat loco offensionem praebuit[2]). et mihi quidem persuasit, etsi causas nullas pronuntiavit, cur sibi caput 22 sententiarum nexum turbare videretur. quas ipse facile perspexi. ambo enim cc., 22 et 23, eiusmodi sunt ut utrumque ex exordio sive prooemio ad narrationem ipsam transitum parare videatur. caput igitur 22, quod cum eis quae praecedunt apte cohaeret, sententiam c. 21 § 2 expressam, bellum Peloponnesiacum eis maximum et gravissimum visum iri, qui res ipso gestas, ut a Thucydide sunt narratae, perpendant, ita amplificat, ut quid de natura operis ipsius praesertim de principibus eius partibus, de orationibus et narratione factorum, sentiendum sit proponat. Thucydides igitur, ut argumentum capitis 22 paucis adumbrem, orationes, inquit, quae habitae sint cum difficile fuerit aut a se ipso aut ab aliis memoria retentas accuratis aut eisdem reddere verbis, tales a se conscriptas esse, quales sibi maxime visi sint habuisse qui eas habuissent,

---

1) Ad. Kirchhoff, über die abfassungszeit des Herodot. geschichtswerkes. Abhandlungen der Berl. Akad. d. wissensch. 1868, histor. phil. classe. p. 19.

Eius verba Classenus non recte intellexisse mihi videtur, quippe qui eis usus sit in II primi libri editione in praef. p. LIII ad suam confirmandam sententiam.

2) Cfr. adnot. in edit. Kr. ad. c. 23: „c. 22 ist nicht recht an seiner stelle."

quippe quod et tribuerit eis quae singulis temporibus et condicionibus convenirent et universam sententiam vere dictorum sit secutus; de rebus autem gestis non ea se narrasse quae ex quolibet audivisset, set quae aut ipse vidisset aut complurium narratione diligenter comparata explorasset; eam explorationem quamvis multis obstructam difficultatibus id certe effecisse, ut opus suum minus fortasse suave, set utilissimum sit eis qui veritatis studiosi res humanas considerare velint et ut κτῆμά τε ἐς ἀεὶ μᾶλλον ἢ ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα ἀκούειν ξύγκειται. post haec verba aptissime ipsius belli narratio sive proprium opus sequeretur. secuntur tamen verba, quae quod saepius iam in ipso prooemio audivimus de belli Peloponnesiaci magnitudine iterum quodam modo repetunt et novis quibusdam rationibus inlustrant. tam igitur diversas res ab rebus c. 221 tractant, ut qui sit nexus inter c. 22 et 23 non perspicias. deinde paragrapho 4ª c. 23 descriptio causarum belli indicatur, ita ut sub finem capitis haec legantur: αἵ δ' ἐς τὸ φανερὸν λεγόμεναι αἰτίαι αἵδ' ἦσαν ἑκατέρων ἀφ' ὧν λύσαντες τὰς σπονδὰς ἐς τὸν πόλεμον κατέστησαν. itaque cum c. 24 a primis verbis de Epidamno agatur, adparet c. 23 et artissimo vinculo cum c. 24 esse coniunctum et transitum efficere aptissimum ad narrationem ipsam.

Caput 23, ut modo commemoravi, inde sumit initium ut bellum Peloponnesiorum et Atheniensium maximum esse doceat. et verba quidem haec sunt: τῶν δὲ πρότερον ἔργων μέγιστον ἐπράχθη τὸ Μηδικὸν καὶ τοῦτο ὅμως δυοῖν ναυμαχίαιν καὶ πεζομαχίαιν ταχεῖαν τὴν κρίσιν ἔσχε κτέ. quae belli Persici commemoratio permira est post longiorem expositionem, quam c. 18 § 1 et 2 de illo bello legimus. hae vero paragraphi insunt in illa I l. parte qua, ut iam vidimus, Thucydides de rebus, quae antea fuerunt (I, 1, 2: τὰ πρὸ αὐτῶν καὶ τὰ ἔτι παλαιότερα), breviter et succinte locutus est, unde ab scholiasta archaeologiae nomine designatam eam audivimus. et ea id agit scriptor ut indiciis probabilibus demonstret, temporibus quae praeterierunt ante bellum Peloponnesiacum nullas omnino gestas esse res magnas. (cfr. I l. 1 c. extr.) capitibus igitur altero usque ad octavum de rebus ante bellum Troianum gestis disserit, quas parvi adeo momenti fuisse inde conligendum esse dicit quod Graeci, cum facile sedes suas permutarent et continue migrarent, nihil commune ante bellum Troianum gesserint et latrociniis et praedationibus propter victus egestatem dediti omnia maria infestarint omnesque insulas et terras expilarint et turbarint. set Minoem, qui primus Graecorum classem aedificarit, piratis ex plurimis insulis eiectis id effecisse, ut liberius navigare-

tur, brevique post Agammemnonem, qui plurimum opibus praecipue navalibus valuisset, cum ceteris principibus Graecis celeberrimam illam expeditionem Troianam fecisse, quae tamen et fama sit inferior et bellis huius aetatis tenuior (9—11 cc.). neque enim desiisse inopiam, propter quam Graeci sedes suas saepius permutarent. quiete tandem restituta sedibusque certis institutis coloniisque deductis rem maritimam auctam esse et adornatam. Graeciam tamen ne tum quidem magna cepisse incrementa, neque tyrannos aliud quicquam egisse, quam ut suis commodis quam optime prospicerent. hoc iam loco transit scriptor ad bella Persica et tempora quae intercesserunt inter haec et bellum Peloponnesiacum (τὰ πρὸ αὐτῶν). quae de his temporibus breviter narrat, eis adsumit quae supra Latino sermone dedi, Graeca autem haec sunt: καὶ ὁ πόλεμος οὗτος καίπερ τῶν ἀνθρώπων ἐν ᾧ μὲν ἂν πολεμῶσι τὸν παρόντα ἀεὶ μέγιστον κρινόντων κτἑ. ἀπ' αὐτῶν τῶν ἔργων σκοποῦσι δηλώσει ὅμως μείζων γεγενημένος αὐτῶν. neque tamen, si in Kruegeri partes abiens c. 22 eo quo nunc stat loco amovendum esse statues, poteris contendere verba haec, quae modo adscripsi, coniuncta olim fuisse cum c. 23°. quod enim ad formam adtinet grammaticam, apertissime patet non eum esse potuisse olim capitum ordinem, ut post c. 21 statim sequeretur c. 23. set etiam sententiae dissimiles sunt et secum pugnant quodam modo, quoniam capitibus 2—22, quorum summam modo perstrinxi paucis, omnino magni aliquid ante Peloponnesiacum bellum factum esse negatur, capite 23 bellum Peloponnesiorum et Atheniensium maius Persico, itaque maximum omnium fuisse praedicatur. fac etiam ut animum advertas ad ea, quae supra cum Ullrico monui, Thucydidem timide et pavide capite 23 bellum Peloponnesiacum cum Persico comparare; quam ob rem c. 23 haut congruere mihi videtur cum cc. 2—22, quae tam speciosam de bello Peloponnesiaco praebent opinionem, ut a rebus quae antea fuerunt omnis auctoritas abiudicetur. quibus subiungas velim c. 1 § 2, quae, cum transitum paret ad archaeologiam, parum congruit et cum capite 23 et cum capitis 1 § 1ª. paragrapho enim 1ª Thucydides scriptorem se esse profitetur historiae belli, quam conscripserit statim exorsus cum illud initium caperet et spe commotus illud ipsum et magnum esse futurum et omnium maxime memorabile, cum videret Athenienses Lacedaemoniosque omni bellorum adparatu esse instructos et ceteros Graecos cum alterutra parte societatem coire aut statim, vel revera, aut consilio. deinde paragrapho altera iure optimo se sperasse profitetur; hanc enim sententiam omnes consentiunt interpretes supplen-

dam esse ante verba, quae paragrapho secunda legimus: κίνησις γὰρ αὕτη μεγίστη δὴ τοῖς Ἕλλησιν ἐγένετο καὶ μέρει τινὶ τῶν βαρβάρων ὡς δὲ εἰπεῖν καὶ ἐπὶ πλεῖστον ἀνθρώπων. quibus si subiunges quae secuntur, totius capitis sententiarum ordinem hunc esse perspicies: „Thucydides speravit ab ipso initio magnum futurum esse bellum Peloponnesiacum. Et recte speravit. Nam motus fuit maximus. Nam quae antea fuerunt non sunt magna," — neque dubito quin mihi mira haec esse concessurus sis. ter enim in paucis lineis adiectivum μέγας positum, neque tamen proprium magnitudinis documentum datum invenimus. quod desideratur omnino usque ad c. 23; ultimis certe c. 21 verbis hoc solum comperis, facta doctura te esse, bellum Peloponnesiacum esse maximum.

Et paragraphus altera c. 1, quam eo consilio scriptam videmus, ut archaeologiam introduceret, dissentit etiam a § 1[a], quippe quod hac Thucydides ita se iudicem praebeat belli Peloponnesiaci, ut quantum hoc ad Graecos solos pertineat respiciat, illa barbarorum et omnium hominum mentionem faciat. altera igitur paragrapho ampliorem vim bello suo tribuit quam prima, idemque discrimen iam inter cc. 2—22 et c. 23 intercedere cognovimus. cum vero manifestum sit, artissime inter se cohaerere alteram 1 capitis paragraphum et cc. 2—22, id denique respicias primam etiam paragraphum c. 1[i] cum capite 23 per γὰρ aptissime posse coniungi nullo vocabulo mutato nisi δὲ in γὰρ, pulcherrimumque inde existere sententiarum ordinem. ita enim procedunt: Thucydides speravit magnum bellum esse futurum. et iure speravit. nam omnium quae antea fuerunt maximum fuit Persicum, et tamen Peloponnesiacum longius illo fuit cet.

Itaque iam adstipuleris sententiae qua in primo Thucydideo opere post paragraphum 1[am] c. 1[i] statim esse subsecutum c. 23[um] dico per γὰρ, ut videtur, cum 1 c. 1 § coniunctum [1]); verba autem quae nunc legimus inde a § 2 c. 1 — c. 22 extr. adiecta esse a Thucydide mihi videntur, cum historiam belli Archidamici post Deceleici belli finem retractaret.

Quae coniectura ex eo sumit praesidium haut spernendum, quod et c. 1[i] paragraphum 1[am] et c. 23[um] statim post Niciae pacem conscripta esse demonstravi, capita autem: 1 c. § 2—22 c. et unam paragraphum (c. 10 § 2), quam post Athenarum expugnationem

1) Adiectis 1, 2—22 omisisse aut mutasse quaedam consilio Thucydidem ut credamus nullis argumentis cogimur, nec mihi factum hoc esse verisimile videtur, cum, ut supra dixi, mutato δὲ in γὰρ in capite 23o nihil desideretur etsi cum 1, 1 id coniungas. negare tamen fieri potuisse nolo.

scriptam esse non sine probabilitate docti quidam adseverant, et complura continent, quae aut notitiam quandam belli alterius produnt aut certe ita sunt comparata ut videantur aptius posse explicari, si ea post totius belli finem scripta esse dicas. ut Arnoldus et Classenus iam perspexerunt prooemium opportunum locum non tenere neque auctoritatem iustam et idoneam habere, nisi a scriptore longissimi illius belli gnaro scriptum sit [1]).

De altera quidem c. 10^{i} paragrapho: Λακεδαιμονίων γὰρ εἰ ἡ πόλις ἐρημωθείη, λειφθείη δὲ τά τε ἱερὰ καὶ τῆς κατασκευῆς τὰ ἐδάφη πολλὴν ἂν οἶμαι ἀπιστίαν τῆς δυνάμεως κτἑ. Ἀθηναίων δὲ τὸ αὐτὸ παθόντων διπλασίαν ἂν τὴν δύναμιν εἰκάζεσθαι ἀπὸ τῆς φανερᾶς ὄψεως τῆς πόλεως ἢ ἔστιν certius iudicium haut facile est. itaque quae Ullricus adfirmat, negat Classenus. Ullricus Spartam et Athenas ita sibi oppositas esse videri dicit, ut perspicere liceat ambas viribus pene esse pares, et ita descriptas, ut descriptio haec maxime quadret ad rerum condicionem, quae fuit belli Archidamici tempore. ad plane idem iudicium pervenire nos dicit ex eo quod Sparta Peloponnesi tantum imperium (τὴν ἡγεμονίαν) habere dicitur καὶ τῶν ἔξω ξυμμάχων πολλῶν; alioquin fore ut Lacedaemonii totius Graeciae terra marique duces adpellarentur. cui ratiocinationi quae obicit Classenus in universum recte se habent. Thucydides enim hoc loco nec voluit nec conatus est omnino Spartam et Athenas comparare. neque igitur multum interest, utrum ea, quae de ambarum urbium opibus et potentia proferat, ad ipsius belli Peloponnesiaci tempora, an ad statum, qui erat post finem belli Peloponnesiaci, pertinere dicamus. quae sane comparationem efficere videntur aetatem prorsus non significant. set si tempus constituere mavis ad quod Thucydidis descriptio sit referenda, illud ἢ ἔστιν, ut recte Classenus observavit, in fine verborum positum eam rerum condicionem indicare videtur, quae fuit post finem belli Deceleici.

Deinde silentio non est praetereundum, barbarorum, de qua pauca praedixi, commemorationem docere, Thucydidem, cum opus suum limaret et retractaret, ad res magis generales, ut ita dicam, conscribendas sese vertisse, quippe qui cognovisset totum bellum et singulas res gestas ampliorem habere effectum, quam post Archidamici belli finem arbitratus esset. neque etiam tum omnino Thucydidi licuit praedicare, bellum Peloponnesiacum multum valuisse ad

1) Set excipere debuerunt c. 1 § 1 et c. 23. cfr. Classen, praef. p. LIII et Arnoldum ad I, 1 qui ita loquitur: this preface was apparently written after the conclusion of the war, when Th. began to digest the information which he had previously collected, into the form of regular history.

barbarorum et omnium fere civitatum condicionem. belli enim Archidamici perpauci participes fuerunt barbari, ut Macedones, Thraces, Epirotae. altero autem bello Persas (et Siculas gentes) primas quasi partes egisse inter omnes constat. accedit quod quae nobis narrat Thucydides cc. 2—22 aptissime ita explicantur, ut dicas eum exsilii tempore illa novisse, post a. 404 cum lectoribus futuris communicare voluisse. utut enim de anno natali Thucydidis sentimus, verisimile tamen non est, eum ante exsilii tempus per totam Graeciam migrantem tantam Graecarum rerum sibi notitiam parasse, quanta ex prooemio elucet; exsilii tempore eum et in alias urbes Graecas et Spartam se contulisse ibique et antiquas et bello ipso gestas res investigasse cum per se verisimile est, quamquam βιόγραφοι nihil certi tradunt, tum ex compluribus locis Thucydidis est concludendum, ex quorum numero, ut paucis rem absolvam, non adferam nisi l. I c. 9 § 2, c. 20 § 3, l. V c. 26 § 5, c. 68 § 2, c. 74 extr.

Set opposita nostrae coniecturae videntur esse verba quibus Thucydides aut diserte aut tacite poëtarum et logographorum et Herodoti conscribendae historiae rationem impugnat; cfr. c. 20 § 1, c. 21 § 1, c. 22 § 2. parum autem non nego posse verisimile videri Thucydidem non ab ipso initio et secutum esse eandem regulam in exponendis rebus gestis et adposuisse eam statim in historia belli Archidamici. accedit quod, cum Herodoti historiae pars extrema non adtingat nisi res aa. 431—428 eamque ob rem haut multo post a. 428 et scriptor mortuus esse et opus eius editum in Thucydidis manus venisse videatur, hunc iam in primo opere, neque demum post a. 404 rationem Herodoteam improbasse et contra Herodotum c. 20 § 2 de Lacedaemoniis regibus et Πιτανάτης λόχος scripsisse eo fit verisimilius quod Hellanici parum accurata Attica historia brevissime postquam edita fuit commotum eum esse scimus ad conscribenda cc. 97—118. set nihilominus non refutatus mihi esse videor neque opus esse puto, ut c. 21 et 23 et c. 20[1] initium in primo etiam opere vinculo quodam cum c. 1 § 1 et c. 23 coniuncta fuisse habeamus. primum enim Thucydidis opus, cum nihil aliud quam enumerationem fere solam rerum gestarum continuisse variis supplementis efficiatur quae post a. 404 adiecta esse aut iam demonstravi aut infra demonstrabo, ne illa quidem praebuisse est verisimile quae ad logographos et Herodotum spectant, quoniam ad rem ipsam non pertinent (cfr. quae infra de cc. 48—51 l. II dixi et fin. diss.).

Restat ut de capitis 20 paragraphis 2[a] et 3[a] verba faciamus. quae ne cui scrupulum iniciant metuo, cum et ipsa de Pisistrati

filiis tractent, de quibus multo plenior et verbosior narratio invenitur in VI libri cc. 54—59. unde Ullricus conlegit, priorem narrationem (I, 20) post Niciae pacem, posteriorem (VI, 54—59) post a. 404 esse conscriptam, cum Thucydides oblitus esset, se iam de hac re esse locutum. qua interpretatione multis, ut Popponi, Boehmio, nescio an falsi aliquid pro vero comprobarit.

Noli enim praetermittere, Thucydidem ambobus locis eodem consilio narrationem se inseruisse profiteri, scilicet ut ostendat, neque omnino homines neque Athenienses res ante actas vel ipsa in patria accurate novisse set famam sequi malle. consilio igitur Thucydides, nisi fallor, bis eandem rem docuit, ne vulgus quae fama accepit sine disquisitione pro veris haberet, quod de veritate investiganda nihil curare eisque potius confidere, qui suaviora ad audiendum praebent, ut poëtis et logographis, in ipsius prooemii ultimis capitibus 20 et 21 vehementer dolet. hanc etiam ob causam et archaeologiam et pentecontaetiam adiecit (etsi de hac diserte illam causam non profert) et libri II c. 29 degressionem de Tereo Dauliae rege interposuit, quem populus Atheniensis, ut ex Thucydidis verbis conicere licet, unum ex maioribus Sitalcae fuisse existimabat, cum Sitalcae patri Τήρης nomen esset. et constat Thucydidem id imprimis studuisse, ut res quales τοῖς ἔργοις fuissent ostenderet, quibus opposuit τὴν φήμην et τὸν διὰ τοὺς ποιητὰς κατεσχηκότα λόγον. Atheniensis igitur bis quoque veram Hippiae et Hipparchi historiam proposuit Atheniensibus.

Cui sententiae id etiam servit argumentum, quod si recte l. I c. 1 § 2— c. 22 post a. 404 scripta esse contendi, quo tempore etiam libros V, 26— VIII compositos esse constat, Ullrici interpretatione recepta ad plane incredibile iudicium pervenimus, eum neglegentia quadam sopitum nec consilio brevissimo temporis spatio ambos locos (I, 20 et VI, 54—59) composuisse.

Set alia exoritur quaestio, utra narratio antea sit scripta, sive quo tempore Thucydides l. V c. 26— VII (aut certe usque ad c. 59 l. VI) composuerit, quo priorem historiae suae partem retractarit, num hoc illo prius confecerit. in qua re perquirenda etsi libenter operam poneremus, frustra poneremus. aetatis enim nulla adsunt indicia, ex quibus erui possit, quibus annis (post annum 404) singuli posterioris historiae libri compositi sint quibusque priori parti secunda manus accesserit. Ullricus tamen (die hellen. kriege, adnot. 160) de aetate capitis 68 libri VIII sagacem quidem set incertam coniecturam fecit, cum ex verbis ἄριστα φαίνεται (sc. ὁ Ἀντιφῶν) τῶν μέχρι ἐμοῦ θανάτου δίκην ἀπολογησάμενος

conligeret, scriptum esse caput illud post a. 399, quo Socrates impietatis reus factus pro se oraverat, set nihilominus capitis damnatus veneno sumpto supremum diem obierat. ego vero de nostris capitibus hanc coniecturam facio, ut l. VI c. 54 sqq. ante l. I c. 20 scripta esse inde verisimile habeam quod in l. VI c. 54 sqq. nullis scriptor verbis disseruisse se iam de eadem re profitetur. quod, si consilio re vera bis de Hippia et Hipparcho narravit, scripto antea capite 20° libri I in capite 54 aut subsequentibus libri VI certe adnotasset. ut vides eum, ne plura exempla adferam, l. V c. 1 § 1 verbis: ᾗ πρότερόν μοι δεδήλωται res respicere quas nobiscum communicavit l. III c. 104 § 1 et 2.

Alio vero etiam argumento coniecturam meam fulcire possum. etenim quod supra mirum esse cognovimus, quod Thucydides ne in primo quidem prooemio neque in subsequentibus libris quatuor locutus esset, quam notionem vocabulis ὅδε ὁ πόλεμος subiecisset, haut scio an recte ita explicetur ut dicas, longiorem expositionem consilio eum fugisse, ne a cetera narratione abhorreret, breviorem ideo fortasse neglexisse, quod quae sentiret iam antea, l. V c. 26, se expressisse sciret aptumque hunc locum esse persuasum haberet [1]). qua explicatione non refelluntur, quae supra ex eodem capite conclusimus. perspeximus enim Thucydidem alteram altero tempore historiae suae partem confecisse, i. e. non uno tenore omnes libros suos composuisse; si composuisset, quin statim ab initio esset locutus, quem intellectum haberet ὅδε ὁ πόλεμος, dubitari non posse supra dixi.

An putas futurum fuisse ut Thucydides in edendo opere secundam narrationem de Hippia et Hipparcho (l. VI, 54—59 cc.) omitteret? non nego fieri hoc potuisse, quippe quod narratio quam in prooemio legimus quamvis brevis et succinta omnia contineat, quae ad rem ipsam demonstrandam pertinent; altera illa totam praebet Hippiae et Hipparchi et consanguineorum historiam.

Set nolo halicunari. vides enim quam haec incerta sint. verum tamen utut se habent, non impediunt quominus l. I. c. 1 § 2 — c. 22, ut l. VI. c. 54 sqq., post totius belli finem scripta

1) Pauca quaedam verba l. V c. 26 non potuisse eum proferre, nisi quo posita sunt loco, facile potest et debet concedi. maxime autem hoc cadit in § 5: καὶ ξυνέβη μοι φεύγειν τὴν ἐμαυτοῦ ἔτη εἴκοσι μετὰ τὴν ἐς Ἀμφίπολιν στρατηγίαν καὶ γενομένῳ παρ' ἀμφοτέροις τοῖς πράγμασι καὶ οὐχ ἧσσον τοῖς Πελοποννησίων διὰ τὴν φυγὴν καθ' ἡσυχίαν τι αὐτῶν μᾶλλον αἴσθεσθαι. in primis enim libris quatuor conscribendis Thucydidem Athenienses imprimis fontes adhibuisse et persuasum habeo et ostendam alia occasione.

habeamus. novum vero argumentum, ut hoc etiam denique adferam, inest in eo, quod in prooemio praesertim in ea eius parte, qua exposuit Thucydides quo modo et orationes composuisset et res gestas adumbrasset, plura inveniuntur, quae consilium scriptoris aliqua certe ex parte antea iam effectum fuisse indicant. rationem velim imprimis habeas c. 22 § 2, § 4 extr. et etiam verba c. 22 § 1: ὡς δ' ἂν ἐδόκουν ἐμοὶ ἕκαστοι περὶ τῶν ἀεὶ παρόντων τὰ δέοντα μάλιστ' εἰπεῖν ἐχομένῳ ὅτι ἐγγύτατα τῆς ξυμπάσης γνώμης τῶν ἀληθῶς λεχθέντων, οὕτως εἴρηται id confirmare videntur. εἴρηται enim spectare videtur orationes iam antea scriptas[1]). iam pridem igitur viri quidam docti suspicati erant Thucydidem prooemium scripsisse aliquot libris antea compositis. set eorum coniectura paucis adrisit, et iure eis opposuit Kruegerus in vita Thucydidis vernacula lingua conscripta, p. 72: „weil Thukydides sein werk nicht so weit als er wollte fortgeführt hat, darf man auch die abfassung des prooimions nicht später als die des werkes ansetzen; denn hätte der schriftsteller sie verschieben wollen, so würde er sie wohl bis zur vollendung des werkes ausgesetzt haben und dann würden wir das prooimion gar nicht besitzen." quod nobis non potest opponi, quippe qui intellexerimus, perpolitionem operis ansam Thucydidi dedisse ad adiciendum praeclarum prooemium vel sane potiorem eius partem.

In libro II. iam Ullricum duo additamenta perspexisse pluries monui; quae sine dubio post finem totius belli a Thucydide sunt inserta. altero enim, i. e. c. 65 § 5—13, de Athenis expugnatis verba fiunt, altero, i. e. c. 100 § 2, Archelai Perdiccae filii mentio ita fit, ut post ipsius mortem haec paragraphus scripta esse videatur, qui regnavit inde ab anno 413 (cfr. corp. inscr. Graec II. p. 341, marmor Parium) usque ad annum 399. at alia etiam sunt vestigia quae alterius quoque libri partes quasdam secundis curis retractatas esse ostendunt.

Capitibus 18 et 19 Thucydides Peloponnesiorum iter et res gestas describit, cum primo in Atticam invasissent. primum

---

1) Classenus iterum sibi non constat; praef. p. VIII enim prooemium ante narrationem compositum esse dicit; in adnotat. vero ad l. I c. 22 §. 1 pag. 50 haec profert: „(εἴρηται) erklärt sich als pfctm am natürlichsten, wenn wir annehmen, dass diese worte und somit d. prooem. geschrieben sind, als er bereits einen grossen theil seines werkes vollendet vor sich sah." equidem ex verbis 22, 1 certum sententiae meae documentum petere nolui nequis ea falso intellegeret. parte III enim diss. perspiciemus orationes et ipsas post a. 404 demum in eam artificiosam formam esse redactas quae exstat.

igitur Oenoae urbis in Atticae et Boeotiae confinio sitae obsidionem narrat. quae cum ad irritum cecidisset Lacedaemonii irruptionem ipsam in Atticam fecisse dicuntur in Eleusiniam et campum Thriasium et inde in Acharnensem agrum profecti. quam narrationem Thucydides c. 21°. ita excipit et continuat, ut quem Atheniensis populi adfectum concitarit agrorum populatio, quaque ratione Pericles eum componere studuerit adumbret. capite vero 20°, quod narrationis tenorem interrumpit, Archidami sententia explanatur, quam ille sequens in planitiem tum ipsam non descendit. et hoc quidem caput secundis Thucydidis curis tribuerim his deductus rationibus.

Quae initio capitis leguntur: γνώμῃ δὲ τοιᾷδε λέγεται τὸν Ἀρχίδαμον περί τε τὰς Ἀχαρνὰς ὡς ἐς μάχην ταξάμενον μεῖναι καὶ ἐς τὸ πεδίον ἐκείνῃ τῇ ἐσβολῇ οὐ καταβῆναι, in eis mira sunt verba ἐκείνῃ τῇ ἐσβολῇ, quibus etiam in § 4 h. c. occurrimus, cum Thucydides de nullis aliis irruptionibus locutus sit neque usque ad caput 20 hanc primam irruptionem esse declararit. neque minus offendunt verba ὡς ἐς μάχην ταξάμενοι, quippe quod in cc. 18, 19, 21 nihil audiverimus de Archidamo copias in aciem instructas in Acharnensi agro habente, tametsi et c. 19 § 2 et c. 21 § 2 de rebus agitur, quas in Acharnensi agro Lacedaemonii gesserunt. accedit quod in cc. 18, 19, 21 nihil omnino de Archidami consilio dicitur, quod novimus ex c. 20, praesertim § 4 h. c. tribus igitur modo dictis capitibus res ita adumbratur, ut Thucydides nihil de eo compertum habuisse videatur. cum enim pluries in illis capitibus egregia exhibendi consilii illius opportunitas insit, ut uno satis habeam adlato c. 23 initio, quid, rogo, ad excusandum scriptorem proferre potes, quod illud non exhibuerit? postremo ad capita quod adtinet, quae de altera Peloponnesiorum irruptione legimus, infitias te non iturum esse spero, futurum fuisse ut c. 47 § 2 aut c. 55 aut c. 57 nominatim effecisse anno 430 Archidamus diceretur quod praecedente anno sponte vitaverat, si c. 20 antea scriptum esset.

Set nihilominus haec fortasse non ita sunt disputata, ut omnem tibi submoveant dubitationem. in medio igitur relinquentes, caput 20 sitne in supplementorum, qualia iam cognovimus, numerum referendum necne, ad c. 47 et sqq. transeamus, quibus certe convinceris nova Thucydidem et finxisse et alteri quoque libro addidisse.

Capitis igitur 47 § 3 Thucydides ad descriptionem morbi illius pestilentissimi cum transit, primo eum illo tempore exortum esse Athenis, set iam antea et circa Lemnum et alibi in multa loca

ingruisse dicit; deinde brevissime de morbi natura exponit. quare tacere non possum, Thucydidem subsequentis etiam capitis, i. e. 48[1], initio iterum set pluribus docere, qualis origo et ratio fuerit morbi. et longior haec expositio pertinet inde a capite 48 usque ad c. 51, post cuius finem, initio c. 52[1], haec legimus: ἐπίεσε δ' αὐτοὺς μᾶλλον πρὸς τῷ ὑπάρχοντι πόνῳ καὶ ἡ ξυγκομιδὴ ἐκ τῶν ἀγρῶν ἐς τὸ ἄστυ καὶ οὐχ ἧσσον τοὺς ἐπελθόντας. per αὐτοὺς intelligendos esse cunctos Athenienses manifestum est. set inde a capite 49 de nullis aliis scriptor est locutus, quam de aegrotis. cuncti vero Athenienses postremo set obiter tantum sunt commemorati c. 48, 2 verbis: ἐς δὲ τὴν Ἀθηναίων πόλιν ἐξαπιναίως ἐνέπεσε, et brevi ante c. 47 § 3, in cuius capitis ultimo enuntiato subiectum etiam sunt, quod hoc est: ὅσα τε πρὸς ἱεροῖς ἱκέτευσαν ἢ μαντείοις καὶ τοῖς τοιούτοις ἐχρήσαντο πάντα ἀνωφελῆ ἦν τελευτῶντές τε αὐτῶν ἀπέστησαν ὑπὸ τοῦ κακοῦ νικώμενοι. cum hoc igitur enuntiato coniungas velim caput 52 et mecum censeas, capita 48—51 inserta esse a Thucydide cum historiam suam belli Archidamici (id enim primum erat opus) amplificaret et corrigeret. quae coniectura inde mihi sumere videtur praesidium haut spernendum quod, ut modo iam attigi, ea quae de morbo c. 47 § 3 et 4 et c. 52 tradita sunt ita sunt comparata, ut omissis etiam cc. 48—51 morbi brevem, set sufficientem quandam effigiem depingant. nam, ut accuratam summam cc. 47 § 3 et 4 et 52 proponam, Thucydides c. 47 § 3—4 perniciosam, inquit, vim fuisse morbi et ingentem mortuorum numerum; neque enim medicos opem ac salutem ferre neque alios homines adiuvare se potuisse neque oracula quicquam profecisse; capite 52 sq. praeclare depingit quae fuerit vis morbi in Atheniensium mores et consuetudinem et vitae rationem. quae vero in capitibus 48—51 praecipue autem in c. 49 insunt, morbum ipsum, ut est gestus, describunt tamque sunt accurata tantamque produnt artis medicae notitiam, ut et post diuturnum eius studium a scriptore conscripta esse sint habenda et referenda inter ea, quae historicus, ut agendi rationem et consilium rerumque humanarum et naturalium explanaret causas et eventus, aliquanto post narrationem ipsam conscripsit. ut enim praedixi, cum de archaeologia verba facerem, videtur Thucydides post a. 404 et aliter, ut par erat, de natura belli ὅδε ὁ πόλεμος iudicasse et maiorem etiam ei vim diserte capitibus quibusdam tribuisse, quam post Niciae pacem.

Set respicias denique c. 48 § 2 verba: κρῆναι γὰρ οὔπω ἦσαν αὐτόθι. quae novum sunt sententiae meae specimen. scripta enim esse debent post eum annum quo Meton geometres celeberrimus

aquaeductus exstruxerat, quod factum esse anno 414 coniecit Ullricus ex scholio ad Aristophanis Avium versum 997 adscripto. quod si recte coniecit, non scripta sunt verba illa brevi post Niciae pacem.

In eodem libro altero Ullricus, ut iam commemoravi saepenumero, c. 100 § 2 post totius belli finem et post a. 399 quidem insertam esse monuit. equidem Thucydidem cc. 95—102, 1 (τὰ μὲν κατὰ τὴν Σιτάλκου οὕτως ἐγένετο) inseruisse suspicor, quamvis coniecturam levioribus tantum argumentis corroborare posse mihi videar. primum hoc est, quod Thucydidem longioribus supplementis opus suum amplificasse perspeximus. paragraphus autem 2ª c. 100 etiamsi non tam arte cum narratione de Sitalcae expeditione sit coniuncta, ut non possit eximi sententiarum nexu et ordine non turbatis, cohaeret tamen cum ea quodam modo, scriptamque esse eodem quo narratio tempore, ex eo verisimile fieri censeo, quod de re agit minus gravi, quam Thucydides nisi cum narratione ipsa nescio an non protulisset adnotatione alia aetate interiecta. degressio enim est haec paragraphus, qua Thucydides commemoratione firmorum locorum et moenium adductus, in quae Macedones Sitalce in Macedoniam intrante confugerant, haut multa, inquit, Perdicca rege firma fuisse loca; plurima eorum, quae essent, Archelaum condidisse viasque rectas fecisse et ceteras opes parasse. quid igitur brevis haec adnotatio ad rem pertinet? aliis locis Thucydides Archelai mentionem non fecit omnino. etiam igitur censeo extr. c. 99 verba: καὶ Περδίκκας Ἀλεξάνδρου βασιλεὺς αὐτῶν ἦν ὅτε Σιτάλκης ἐπῄει[1]) scripta esse respectu potissimum eorum, quae noster de Archelao praedicare in mente habebat, etsi pro certo id adfirmare non audeo, quippe quod expositio de maioribus Perdiccae, quae pertinet inde a § 3 c. 99, facile fieri potuerit Thucydidi causa, cur ipsam verbis illis clauserit: καὶ Περδίκκας κτέ.

Denique iterum commoneo totam narrationem eiusmodi esse, ut optime possit eximi. nullo enim vocabulo mutato verba capitis 102 § 1: οἱ δὲ ἐν Ναυπάκτῳ Ἀθηναῖοι κτέ. cum ultimis c. 94[1] verbis coniungi possunt et aptius pene hoc loco posita esse videntur, quam quo nunc stant. opponuntur enim Athenienses qui Naupacti erant Atheniensibus qui, cum Peloponnesios ab Salamine repu-

---

1) Perdiccam enim regem eo tempore fuisse nemo poterat ignorare lectis quae de eo scripta sunt: I, 56, 2; 57, 2; 58, 2; 59, 2; 61, 3; 62, 2; II, 29, 4 et 5; 80, 7. Thucydides cum Sitalcae expeditionis historiam narrando exponere inciperet, l. II. c. 95 § 1 locutus est de eo tamquam de viro legentibus notissimo. cfr. etiam l. II. c. 99 § 1.

lissent, domum reverterunt, ut melius inde ab hoc tempore Piraeum custodirent.

Adice quod ea, quam modo indicavi, ratione optime explicetur, quam ob rem c. 102 paragrapho 1[a] demum inveniantur verba: ἐπειδὴ τὸ τῶν Πελοποννησίων ναυτικὸν διελύθη, cum iam c. 93 § 1 de eis πρὶν δὲ διαλῦσαι dictum et c. 94 de eorum fuga et reditu narratum sit. cur autem noster, ut hoc etiam adferam, ad definiendum tempus Phormionis expeditionis in Acarnaniam factae Sitalcae expeditionem non adhibuit, set solum illud: ἐπειδὴ τὸ τῶν Πελοποννησίων ναυτικὸν διελύθη? ea nimirum, ut mihi videtur, de causa quod Sitalcae expeditio non erat in eis quae praecedebant commemorata. et haec ad bellum ipsum non pertinet; nam neque Lacedaemonii neque Athenienses participes eius expeditionis fuerunt. soli legati Athenienses aderant. et eventus eius expeditionis pene nullus fuit, neque Thucydides alio loco ullam eius expeditionis fecit mentionem. qui omnino narratione ei, qui aptus erat, loco interposita id imprimis egisse videtur, ut quae de regnorum Odrysarum et Macedonum situ et finibus, statu et condicione cognita habebat, cum lectoribus communicaret. quae autem praebet, ea tam sunt accurata, ut, quod etiam ex scribendi et depingendi modo adparet, non possim non credere, vidisse aut comperisse ea Thucydidem ipsum, cum in regnis illis versaretur. ubi ante annum 424 non videtur versatus esse. nam et per se verisimile est, eum annis 431—424 plurimum degisse Athenis (quo anno in exsilium est pulsus) et ipsum testari scimus Athenis se fuisse, cum pestis saeviret, i. e. annis 431—427. cum vero de Seuthae imperio l. II. c. 97 § 3 ita loquatur, ut Seuthem plures annos iam regnasse intellegamus cum haec conscriberetur[1]), qui Sitalcae anno 424 occiso, cum cum Triballis bellaret (Thuc. IV, 101, 5), in regno successit, certe capita illa non ante 420, fortasse tamen etiam aliquanto post scripta esse perspicis. si autem recte disputavimus de c. 100 § 2, conligendum est ex νῦν, quod ibi et c. 99 § 6 legitur, conscripta esse capita 95—102 init. cum Archelaus aut plures annos regnasset aut iam mortuus esset[2]), qui successit

---

1) Sequitur enim hoc praesertim ex verbis: φόρος τε ἐκ πάσης τῆς βαρβάρου καὶ τῶν Ἑλληνίδων πόλεων ὅσον προσῆξαν ἐπὶ Σεύθου — πλεῖστον δὴ ἐποίησε, τετρακοσίων ταλάντων ἀργυρίου μάλιστα δύναμις ἃ χρυσὸς καὶ ἄργυρος εἴη.

2) Ullricus mortuo Archelao Thucydidem laudes tribuisse recte fortasse est suspicatus, cum observari possit, Thucydidem nullius hominis nisi mortui mores et ingenium laudando aut vituperando depingere, vivorum nihil nisi facta referre; cfr. adn. 3.

*

patri 413 (cfr. dissert. p. 31), mortuus est a. 399, sive, cum alia etiam supplementa post totius belli finem addita cognita habeamus, post annum 404, cum Thucydides priorem suam historiam retractaret.

In tertio libro item complura Thucydidem mutasse et nova quaedam inseruisse, cum per se est verisimile, tum ex verbis quibusdam patere videtur. nec tamen certi aliquid potest erui. habenda vero nobis est ratio imprimis horum capitum: 82 sq. 86 § 4, 93 § 2, quibus statim subiungam quarti libri: c. 48 § 5, c. 74 § 4, c. 81 §§ 2 et 3, c. 104 § 4[am.]

Capitibus 82 et 83 libri III Thucydides praeclare adumbrando exponit, qui fuerit discordiarum et dissensionum civilium eventus, quae in Graecis civitatibus a singulis viris aut societatibus concitatae totas res publicas perturbarunt. quae ambo capita Thucydides postea demum adiecisse mihi videtur, et Κυπριανός in commentatione supra laudata, cum demonstrare studeat Thucydidem post a. 404 totam historiam suam composuisse, etiam ex his duobus capitibus concludendum hoc esse dicit. ducit autem ad hanc de capitibus sententiam id imprimis quod scriptor, cum priori belli tempori paucissimos motus civiles tribuat, capitibus 82 et 83 eam discordiae et seditionum deformat imaginem eoque modo depingit causas et eventus, ut eum iam alterum bellum praecipue autem Athenienses motus novisse liceat suspicari, qui per decem annos ab initio belli Deceleici usque ad trigintavirum necem continenter fere durarunt omniaque reipublicae fundamenta omnia instituta legesque labefactarunt et pene everterunt. set fac eum capita illa brevi post Niciae pacem conscripsisse; iam interrogo, quo velis et possis explicare modo totam eum Graeciam perturbatam esse contendisse? (cfr. c. 82 § 1: ἐπεὶ ὕστερόν γε καὶ πᾶν, ὡς εἰπεῖν, τὸ Ἑλληνικὸν ἐκινήθη κτέ, et 82, 3—83, 1, praesertim vero verba: οὕτω πᾶσα ἰδέα κατέστη κακοτροπίας διὰ τὰς στάσεις τῷ Ἑλληνικῷ κτέ).

Capita 86 et 87 l. III post Niciae pacem esse conscripta supra docui. verum tamen hic profiteor quartam c. 86 paragraphum, imprimis verba: πρόπειράν τε ποιούμενοι (sc. οἱ Ἀθηναῖοι) εἰ σφίσι δυνατὰ εἴη τὰ ἐν τῇ Σικελίᾳ πράγματα ὑποχείρια γενέσθαι ita esse comparata, ut videantur scripta esse cum scriptori nota iam esset Atheniensium expeditio Siciliensis. in omnibus autem rebus enarrandis, quae ad Siciliensem historiam usque ad a. 424 pertinent, Antiochum Syracusanum adhibuisse Thucydidem nuper coniecit Eduardus Woelfflinus in libello: „Antiochus von Syr. u. Coelius Antipater. Winterthur 1872.“ nec tamen ita mihi persuasit ut multa ei concederem, quamquam non nego, quae aput Thucydidem

l. VI cc. 2—5 de Sicularum gentium nominibus et origine legimus, ea ex Antiochi Σικελιῶτις συγγραφῇ esse petita verisimile videri. Antiochus autem, ut ex Diodori l. XII c. 71 perspicimus [1]) historico opere suo Siculorum res gestas usque ad a. 424 narravit, quo pax inter Sicilienses composita est (Thucyd. IV, 58—65) Hermocratis maxime viri praestantissimi studio et auctoritate. Woelfflinus igitur opinatur in lucem prodiisse hoc eius opus circa annum 420 brevique post usum eo esse Thucydidem, quippe qui et ipsi Woelfflino, ut ex verbis l. l. p. 20 positis conicere licet, priorem historiae suae partem brevi post Niciae pacem composuisse videatur. set iudicium hoc de Antiochi historiae editione quam dubium sit, vix opus est ut admoneam. possit igitur aliquis, si rectam habeat Woelfflini coniecturam de ratione quae intercedat inter Thucydidem et Antiochum et verba laudata ad res a. 415 et sequentibus gestas spectare recordetur, suspicere, in limando et amplificando primo suo opere Antiochi libro Thucydidem esse usum. neque enim opus habuit Thucydides Antiochi historia, ut omnino de rebus Siciliensibus annorum 430—424 certior fieret, quippe qui multa accipere et discere potuisset ab eis, qui Eurymedonte et Lachete aliisque ducibus in Sicilia stipendia meruerant. accedit quod Thucydidei textus similitudo cum Antiochi fragmentis maxime in rebus geographicis adparet. (cfr. Woelfflin l. l. p. 13—15). et tamen qui ad hunc finem accurate capita quae huc pertinent examinavi, nihil inveni, ex quo ea elaborata et mutata esse probabiliter possem statuere.

Utut illa res se habet, Thucydides aut rectractavit hanc etiam historiae suae partem, aut non composuit libri III c. 86 ante a. 414, quam controversiam haut facile est diiudicare, cum in librorum III et IV capitibus nonnullis pauca quaedam inveniantur, quae, cum optime sint connexa cum eis quae praecedunt et subsecuntur, addita esse posteriore tempore non videntur et tamen eosdem fere annos indicant quos l. I IIc. 86 § 4. sic igitur l. III c. 93 § 2 scriptor Thessalicas, inquit, gentes tam diu Heracleam pressisse ἕως ἐξετρύχωσαν γενομένους τὸ πρῶτον καὶ πάνυ πολλούς. quod quo anno factum sit cum ignoremus, factum esse post a. 420 ex l. V c. 51 adparet, quo Boeoti Heracleam tuendam recepisse dicuntur domum misso Hegesippida Lacedaemoniorum duce, qui rem et ipse male gessit, ut ceteri Lacedaemonii duces, quibus Thucydides l. III

---

1) Qui eiusmodi adnotationes ex Apollodori chronicis recepisse videtur. cfr. Volquardsen l. l. p. 12. Woelfflin l. l. p. 17. fides igitur eis tribuenda est.

c. 93 § 3 culpam maximam tribuit, quod Heraclea oppressa est et corruit.

His verbis adicias notissima illa l. IV c. 48 § 5ae, quae multos movere scrupulos supra iam vidimus, quibusque Thucydides Corcyraeae seditionis expositionem claudit: καὶ ἡ στάσις πολλὴ γενομένη ἐτελεύτησεν ἐς τοῦτο ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε, et ea quibus item seditionis Megaricae expositionem ad finem perducit l. IV c. 74 § 4: καὶ πλεῖστον δὴ χρόνον αὕτη ὑπ' ἐλαχίστων γενομένη ἐκ στάσεως μετάστασις ξυνέμεινεν. quorum altera non ante annum 410 scripta esse cognovimus ex Diodori l. XII c. 57, altera post a. 409 composita esse ex Diodori l. XIII c. 65 comperimus, qui optimatium partem cum Nisaeam Atheniensibus dempsisse narret principatum civitatis tum etiam tenuisse indicat.

At quae insunt verba in l. IV c. 81 § 2: ἔς τε τὸν χρόνῳ ὕστερον μετὰ τὰ ἐκ Σικελίας πόλεμον ἡ τότε Βρασίδου ἀρετὴ καὶ ξύνεσις κτέ. scripta esse adparet vel etiam post belli Deceleici finem, quod suspicari tibi etiam licet de l. IV c. 108 § 4: καὶ γὰρ καὶ ἄδεια ἐφαίνετο αὐτοῖς (sc. τοῖς Λακεδαιμονίοις) ἐψευσμένοις μὲν τῆς Ἀθηναίων δυνάμεως ἐπὶ τοσοῦτον ὅση ὕστερον διεφάνη, etsi diserte belli finem expressum non invenis. respicias deinde, quaeso, quae supra iam monui, in l. V inde a capite 20 usque ad c. 25 saepius occurrere nobis verba: ὁ πρῶτος πόλεμος et similia, quae et ipsa docent, Thucydidem bellum Deceleicum ia mtum novisse, cum illa capita scriberet, nec neglegas ambas operis Thucydidei partes tam pulchre capitibus 25 et 26 l. V esse coniunctas, ut totus liber V uno tenore scriptus esse videatur.

Quae cum ita sint, multi Ullrico non dubitarunt adstipulari, qui Thucydidem, ut iam dixi, paullatim historiam suam composuisse docuit. exorto igitur altero bello Archidamici belli expositioni anno 414 aut 413 finem eum imposuisse statuit, quamquam ad id demum caput pervenisset quod nunc est 48 libri IV; anno deinde 410 brevissimam illam adnotationem ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε aut etiam huius capitis verba plura eum adiecisse; quae tamen secuntur ea scripta esse post belli Deceleici finem. cui suspicioni nimium quantum id favet quod Joannes Droysen sagaciter eruit mecumque communicavit et nuper dissertationis suae inauguralis (de Demoph. Patrocl. Tisam. populiscitis quae inserta sunt Andocidis orat. π. μυστ.) ante paucos dies editae adpendice II p. 43 – 45 publici fecit iuris. de initio igitur belli Peloponnesiaci Thucydidis testimonia ita esse ostendit diversa ac contraria, ut quae l. I (c. 125 § 2) et II (c. 2 § 1, § 4, c. 19) narrantur inter se conveniant optime (Lacedaemonii τοῦ σίτου καὶ τοῦ θέρους ἀκμάζοντος irrupisse in Atticam dicuntur) set

prorsus sint nova testimonia l. V c. 19 § 1 et c. 20 § 1 quibus Thucydides Lacedaemonios narrat τελευτῶντος τοῦ χειμῶνος ἅμα ἦρι in Atticam esse ingressos. itaque c. 18—20 scripta sunt post a. 404, quod etiam adparet ex c. 20, 3: τῷ πρώτῳ πολέμῳ τῷδε. set tamen, qui perspeximus Thucydidem belli Archidamici historiae libros nonnullos (certe primos duos) post a. 404 retractasse, nescio an possimus ea quoque l. III et l. IV et priorum l. V cc. verba quae ab historia belli Archidamici prorsus abhorrere videntur, aut addita aut mutata certe habere post totius belli finem, cetera capita post Niciae pacem esse scripta existimare. quod quidem ad III librum adtinet, scriptum eum omnino opinari potes anno 415 aut subsequenti, neque opus est verba quae pertinent huc in retractando opere adiecta aut correcta habere. quamquam illum etiam librum perpolitum et emendatum esse cum per se est verisimile tum ex cc. 82 et 83 post annum 404, ut nobis est visum, admistis cognoscere licet. adde quod, quo tempore scripta sint verba supra laudata l. III c. 93 § 2 ignoramus, quippe quod nullus perhibuerit scriptor, quo anno (post a. 420) Heraclea eiectis incolis corruerit. magis vero etiam dubium iudicium est de quarto libro. quae quidem Ullricus eruit et observavit scite excogitata esse quis est qui neget? nec tamen, ut ei plane concedam impetrare possum. nam cum dicat Thucydidem ideo opus suum interrupisse, quod belli quod iterum exarsit exitum atque eventum exspectaret, explicationem protulit nimis incertam quam quae possit comprobari. pauca enim Thucydidi reliqua iam fuerunt quae adumbraret, quidque exspectasse eum statuere possis, qui cum adiceret verba ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε a. 410, ut Ullricus suspicatus est, nondum respuisse videtur consilium separatim enarrandae historiae belli Archidamici? accedit quod duobus librorum IV et V locis limae vestigia inesse videntur. in libri IV c. 80 § 5ª quae leguntur: αὐτὸν δὲ Βρασίδαν βουλόμενον μάλιστα Λακεδαιμόνιοι ἀπέστειλαν κτἑ. et totum caput 81, in quo belli Deceleici mentio fit, inserta mihi esse videntur proprio textui. nec tamen pro certo hoc habeo, cum argumenta nulla pene mihi sint praesto, nisi rationem dicas, qua ea expositio cum eis quae praecedunt cohaeret, et ad supplementum, quod in libri II c. 65 § 5—13 invenimus, animum advertas, quod (Pericli summae tribuuntur laudes) persimile nostro Brasidam magnis laudibus extollenti et eodem fortasse tempore est compositum. conicere igitur potes Thucydidem ea, quae de consiliis, moribus, virtute duorum illorum virorum sentiebat, capitibus novis narrationi suae implicuisse, cum eam refingeret et resarciret. certius de capitibus

15 et 16 libri V iudicare mihi posse videmur. verba enim inde a c. 15 paragrapho 1[a]: καὶ οὐχ ἧσσον τοῖς Λακεδαιμονίοις usque ad c. 17[i] paragraphi 1[ae] finem pro certo fere habeo supplementum esse, ut ita dicam, a Thucydide ipso primo operi admistum. nam mirum esse nemo potest negare initium cap. 15[i], quo Thucydides tanquam fine imposito sermoni, quem c. 14 primum de Atheniensium deinde de Lacedaemoniorum pacis studiis instituerat (ταῦτ' οὖν ἀμφοτέροις αὐτοῖς λογιζομένοις ἐδόκει ποιητέα εἶναι ἡ ξύμβασις), iterum statim ad eosdem Lacedaemonios revertitur verbis καὶ οὐχ ἧσσον τοῖς Λακεδαιμονίοις. et in enuntiato quod legimus in capitis 17[i] § 2[a]: καὶ τόν τε χειμῶνα τοῦτον ᾖεσαν ἐς λόγους subiectum cogitatione supplendum esse adparet: οἱ Λακεδαιμόνιοι καὶ οἱ 'Αθηναῖοι, qui inde a primis c. 15 verbis ita non sunt commemorati, ut tanquam subiectum ad nostrum enuntiatum referri possent. itaque iam persusasum habui coniungenda esse verba c. 17 § 2: καὶ τόν τε χειμῶνα τοῦτον ᾖεσαν ἐς λόγους κτἑ. cum primis verbis capitis 15: ταῦτ' οὖν ἀμφοτέροις αὐτοῖς λογιζομένοις ἐδόκει ποιητέα εἶναι ἡ ξύμβασις cum vidi Jul. Steupium (in commentatione: der abschluss des 50jährigen friedens bei Thukydides, in Rhen. Museo a. 1870) et his et aliis rebus offensum tota fere capita 15 et 16 et capitis 17[i] paragraphum primam subditicia declarasse. quae parum caute declarasse mihi videtur. set supersedeo in eam rem a proposito nostro alienam inquirere, ne dissertatio extra solitos terminos excedat iustoque molestior fiat, quoniam iniucundum et parum utile videtur ea redarguere et refutare, quae novissimis temporibus multi viri in arte critica, quae vocatur, exercenda temptarunt, cum id imprimis agerent, ut quam plurima subditicia additamenta in variis operibus antiquis indicarent. in quem errorem nescio an Steupius et ipse inciderit, qui plures commentationes de spuriis quibusdam capitibus historiae Thucydideae conscripsit. [1])

Utut illa capita se habent, equidem verisimilius esse puto, Thucydidem totum primum opus suum non continuasse interruptum post belli Deceleici finem, set minus post Niciae pacem elaboratum singulis tum locis artificiose elimasse nec si recte censemus, mirum aliquo modo potest videri, l. V initium (praecipue cc. 18 sqq.) aliud plane tum exstitisse, quippe quo Thucydides transitum paraveritad dubiae pacis, bellorum Siciliensis ac Deceleici historiam. tantum

1) Neque tamen negaverim plura offendere in his cc. set causa mihi quidem nota. neque enim liber V perfectus est et absolutus, imo vero lima eget multis locis.

vero abest, ut incerta esse admodum diffitear, quae de singulis dixi supplementis, ut libentissime concedam errasse me nonnunquam fortasse, cum difficillimum sit discernere, quae pristino quaeque alteri, ut ita dicam, operi sint tribuenda. ea enim certe Thucydides usus est retractandi et corrigendi ratione, ut quaecunque mutabat et adiciebat aptissimo interponeret loco et cum eis, quae praecedebant quaeque subsequebantur, optime coniungeret, quam ob rem qui dubitanter tantum sententiam tuli de eis, quae secundae manus operi impositae vestigia esse videbantur, idem alia etiam retractata fortasse esse infitias ire nolo, imprimis in III et IV libris, quorum alter, si re vera, ut mihi videtur, post belli Deceleici finem retractatus neque vero conscripus demum est, in c. 48^{i} par. 5^{a} neglegentia quadam mutatus esse est habendus, quippe quod verba ὅδε ὁ πόλεμος usurpata sint priore significatione, quam eam fuisse novimus, ut esset bellum decem annorum. at illud certe disputatione mea effecisse mihi videor, ut constet, retractatam esse omnino priorem historiam sive totam sive magna ex parte.

Iam vero, si omnia quae sententiae meae inserviunt argumenta proponere vellem, etiam quod ad sermonem adtinet indicare deberem discrimen, quod intercedit inter capita in retractando opere addita et inter ea quae a prima manu sunt posita. videor enim mihi adgnoscere diversitatem sermonis et artis; ea quidem, quae postea fuisse addita suspicatus sum, elegantia quadam, nisi fallor, orationis praestant, ut Thucydides faciliori tum et volubiliori scribendi generi diligentiorem operam navasse et exercitationem, quam longiore usu nanctus sit, ad excolendam orationem contulisse sit habendus. quae praetereo, quamvis non minimum fore ut habere possent momentum in enucleanda quaestione putem, cum nec talia sine longa et molesta fere enumeratione et disputatione declarari et ad liquidum perduci possint, et qui in eiusmodi definitionibus nondum satis sum exercitatus, ne pro veris ficta quaedam congererem discrimina, magnopere verear. quam ob rem hoc negotio in posterum tempus dilato scribendi finem faciam in brevi pertractatione quaestionis de orationibus Thucydideis imprimis de tempore orationum prioris historiae partis.

III.

Movet autem hanc quaestionem enuntiatum c. 22 § 1 supra iam laudatum et pertractatum, quo exponit Thucydides quam secutus sit regulam in componendis orationibus. cum enim caput hoc scriptum esse post a. 404 perspectum habeamus, quaestio exoritur, quo tempore orationes primae partis historiae Thucydideae in eam artificiosam quam nunc habemus formam redactae sint.[1])

De qua re antequam investigemus imprimis id statuendum et definiendum esse videtur, cuiusmodi sint orationes directae. nam ne nunc quidem, quamvis ante plures iam annos multa sint disputata de orationum Thucydidearum habitu et in universum qui nunc sunt interpretes secum consentiant, res ita est ad liquidum perducta, ut neque ullus amplius esset locus dubitationi et singula evidenter essent declarata. itaque quantum nostra nunc interest certum aliquid in illa quaestione iudicari, excutere et exquirere ex orationibus ipsis conabimur. totam tamen quaestionem pertractare et singulas doctorum virorum opiniones exhibere, aut hic aptus non est locus aut solitus scriptiunculae ambitus non permittit ut studeamus.

Quapropter statim ad verba illa c. 22 transgredimur, quae qui recte intellegit ita debet explicare, ut tria nos docere dicat Thucydidem: nullas se fictas orationes exhibuisse; accuratissime cum non potuisset memoria tenere et servare dicta, ad sententiam universam vere dictorum i. e. ad argumenta proxime accedere se studuisse; eis quos loquentes introduxisset ea se tribuisse quae in res personasque praesentes maxime essent consentanea, licet ipsi apta et opportuna fortasse non dixerint cum dicerent. Pfavii certe explicatio[2]) perversa, qui Thucydidem fictas quoque plane orationes exhibuisse etiam ex capite 22 conclusit, cum in condicionali enuntiato: ὡς δ' ἂν ἐδόκουν ἐμοὶ ἕκαστοι περὶ τῶν ἀεὶ παρόντων τὰ δέοντα μάλιστ' εἰπεῖν κτέ. non illud, quod ut cogitatione suppleamus necesse est: εἰ τὰ δέοντα μάλιστ' εἶπον, set solum εἰ εἶπον supplendum esse contenderet. neque igitur mentionem facerem

1) Profiteor autem Kirchhoffium praeceptorem veneratissimum permovisse me ut in animum inducerem de hac re quaerere.

2) Pfau, meditationes criticae de orationibus Thucyd. Quedlinb, et Lips. 1836 p. 1—6.

huius interpretationis, nisi Pfavius libello suo pauca quaedam admonuisset quae, quamvis falsis admodum sint intermista, eo nos ducunt, ut multo plures res quam vulgo credunt ex Thucydidis propria arte et ingenio fluxisse censeamus. et mihi quidem et ipsi videntur haec indicare verba modo adscripta, si recte intelleguntur, et manifestare orationes bene explicatae. quas Thucydides cum nullis aliis introducat verbis quam his: ἔλεξαν, ἔλεγον, εἶπεν, παρῄνει κτέ. τοιάδε, ipse satis superque indicavit suas esse orationes non virorum qui erant locuti. set et consilium et compositio et omnes proprietates orationum eodem nos ducunt, ut has maxima ex parte ex proprio Thucydidis ingenio fluxisse dicamus. ut primum de consilio et fine orationum disseram, liceat initio adferre Roscheri verba l. c. p. 154: „wir haben die reden des Thukydides als die vornehmsten mittel zu betrachten, wodurch die äusserlichen thatsachen auf ihre geistigen motive zurückgeführt werden.“ qui recte finem ad quem Thucydides orationes inseruerat paucis verbis expressisse mihi videtur. nam re vera orationibus Thucydides demonstrare studuit quo consilio, qua ratione, ad quem finem res sint inceptae, tractae, finitae. quo factum est ut non tam ‚veritatis vulgaris' studio, si licet haec vocabula mutuari a Pfavio, quam ‚philosophicae et pragmaticae veritatis' amore captus non sola dicta virorum, quos loquentes introduxit, ut eorum recordabatur retulerit, set id egerit ut verbis, quae illis tribuit, et eorum ingenium indolemque, consilia agendique rationem depingeret et rerum naturam ac necessitatem et civitatum condiciones definiret. neque igitur omnis oratio, quae re vera habita est, apta fuit quam Thucydides suo modo formaret, et vel supervacaneum atque inutile erat omnes ita perpolire et excolere. quod optime Thucydides ipse sensit, quippe qui, quod neminem fugere potest, aliquot, non omnes orationes re vera habitas retulerit et in artificiosam formam redegerit. quod si quis eas, quae directa forma traditae sunt, respicit, non potest non videre Thucydidem non libidinem et licentiam set certum quoddam ubique consilium esse secutum ut hanc illamve referret. nec finis quem singulis adsequi voluisse videtur tam tectus et absconditus est, ut non possis eum eruere ex orationibus ipsis et narratione quae praecedit. explicare tamen eum singultim si nunc vellem, magni ambitus volumine opus esset. itaque illud sufficiat enunciare, plurimas Thucydidem orationes eis adsignasse historiae partibus quibus res magni momenti adpropinquant aut exoriuntur aut etiam diiudicantur.

plurimae igitur orationes insunt in libro I et in l. VI.[1]) alter octo, alter vel decem continet orationes. illo scriptorem causas belli Peloponnesiaci enarrare, hoc expeditionis Siciliensis causas originemque et primum annum adumbrare unicuique notum est, causamque etiam in aperto esse puto, cur primordiis maxime bellcrum plurimas tribuerit orationes vel, ut rectius dicam, cur ex numero re vera habitarum talium potissimum temporum orationes elegerit, quibus sui ingenii doctrinae peritiae copias et fructus tanquam fila texto intertexeret. id enim procul dubio molitus est, ut omnium rerum bellis Archidamico et Siciliensi gestarum ratio et natura principia et causae inde ab initio paterent et sequentem rerum expositionem inlustrarent, quippe quae enumerationem fere tantum ieiunam et exsuccam contineret. nam Thucydides contra Hecataei et Herodoti conscribendarum historiarum rationes[2]), quorum alter ea quae sibi ipsi vera viderentur, alter quaecunque accepisset, sive vera aut verisimilia sive falsa et incredibilia, conscribenda censebant, Thucydides igitur, dico, res sua aetate gestas eamque ob rem ab ipso visas auditasve et cognitas aut sane diligenter exploratas variis adhibitis instrumentis et tabulis publicis eo modo proferre studuit, ut expositio sicca esset factorum enumeratio neque ulla iudicia sententiaeque eius tenorem interrumperent et res geri pene non narrari viderentur. itaque ipse etiam certis dimensisque momentis curavit, ut ingens et nuda copia argumenti chronologice congesta aliquo modo disiungeretur et singulae eius partes salva narrationis forma aliquo modo explanarentur et inlustrarentur. ad quod efficiendum quid potuit aptius adsumere quam orationes?

Rarissime autem tantum aut nunquam potius contingere potuit

1) In II libro insunt or. 6, in III l. or. 6, in IV l. or. 7, in V l. or. 2 (altera brevis est oratio Brasidae, alterum notissimum illud conloquium Atheniensium cum Meliis magistratibus; propriae igitur orationes nullae pene insunt, quod effectum est fortasse rebus quae ibi narrantur; multae enim civitates novas pactiones secum confecisse et brevi post earum fidem rupisse et cum aliis iterum foedus iniise dicuntur; pro orationibus igitur praebentur tibi instrumenta pacticia ex tabulis publicis exscripta), in VII l. or. 4 (si orationibus Niciae epistola adnumeratur Syracusis Athenas missa).

2) Cfr. Hecataei fragmentum apud Muellerum, frgm. histor. Graec. I vol. frgm. 332: τόδε γράφω ὥς μοι ἀληθέα δοκέει εἶναι. οἱ γὰρ Ἑλλήνων λόγοι πολλοί τε καὶ γελοῖοι ὡς ἐμοὶ φαίνονταί εἰσιν. de Herodoto conferas ipsius verba in l. VII c. 152: ἐγὼ δὲ ὀφείλω λέγειν τὰ λεγόμενα, πείθεσθαί γε μὴν οὐ παντάπασι ὀφείλω. cfr. Nitzsch in commentatione: ueber Herodots quellen für die geschichte der Perserkriege (in Rhen. Mus. a. 1872 p. 226—268) p. 234.

Thucydidi, ut orationes verbotenus proferret oratorum. set fac ei hoc licuisse; non dubito quin non voluisset proferre [1]). nam viri, quorum orationes Thucydides nobiscum communicavit, cum in foro aut conventu quodam aut ad milites loquerentur, non potuerunt talia non respicere, quae illo ipso tempore necessaria et occasioni perorandi consentanea erant quamquam ad summam rei non pertinebant, et invexerunt certe in singulorum libidines avaritiam alia vitia, aut, si duces erant, pigritiam et desidiam singulorum militum vituperarunt, aut, si oratores erant qui secum contendebant, non quas aput Thucydidem legimus orationes deliberativas, set certamina potius edixerunt et in ea maxime re operam consumpserunt, ut aliquo modo et eloquentiae suae admirationem compararent et populi gratiam servarent et ad finem ad quem tendebant superatis adversariis pervenirent, nec non veriti sunt horum agendi et cogitandi rationem, mores vitaeque formam sui commodi causa in odium atque invidiam vocare. quid talium, quaero, et similium, quae longum est recensere, Thucydides in historia exhibere potuit? neque igitur tale quicquam protulit, qui vel Cleonem quamvis crudelem et vehementem, perniciosum et impium aequo plus, ut mihi videtur, haberet, ita tamen dicentem introduxit l. III cc. 37—40, ut hic non singulis set toti potius civitati et reipublicae gerendae rationi crimina inferre videatur [2]).

Quod si is fuit re vera quam supra adumbravimus finis orationum Thucydidiarum neque igitur eae, quae a ducibus et viris res publicas moderantibus habitae erant, ita ut erant habitae, satisfacere scriptori potuerunt, cui mirum potest videri, eum ad arbitrium ea quae orata erant usurpasse, ut suas artificiosas componeret orationes? [3]) et exstant permulta in omnibus orationibus vestigia et testi-

---

1) Cfr. Heimann, de Thucydid. orationib. dissert. Berol. 1833, cap. 6. p. 10—12.

2) Heimann l. l. p. 11.

3) Mirum videri potest quod plurimi critici et interpretes inopportuna, nisi fallor, Thucydidei nominis verecundia obcaecati, cum quem iure in investiganda veritate rerum severum et rigidum fuisse censebant eundem nollent existimare orationes ex voluntate composuisse, aut nihil omnino de hac proprietate orationum commentati sunt, aut verbis parum definitis exteriorem quendam habitum et formam et leviores notiones Thucydidi adiudicarunt, interiorem habitum h. e. argumentum et sententias earumque ordinem virorum loquentium fuisse contenderunt, Pericleas, ut videtur, maxime orationes spectantes, quas verisimile est Thucydidem audivisse. cfr. Wigand, andeutungen über das relig. princip in d. geschichtl. darstellg. d. Thukyd. Berl. 1829. Poppo, prolegg. I p. 46 sqq. Goeller, vita Thucyd. p. 15. Krueger, in praef. ad Dion. Historiogr. p. 29 sqq. Classen, praef. p. LXXIV.

monia eius licentiae. id enim iam solum quod Thucydides, personas et civitates depingere volens orationibus, eas quae re vera dictae erant iterum animo suo elaboravit et artificia reddere voluit et ad suum finem adaptavit, id solum, dico, ita tulit, ut scriptoris ingenium plane obmutescere non potuerit et supersint in orationibus vestigia ipsius nec solus audiatur qui verba facere fingitur.

Iam igitur, ut libertatis illius pauca quaedam exempla proponam, primo loco ea commemoro quae a scriptore partim sciente ac volente, partim insciente ita sunt conscripta, ut minus cum viris loquentibus et rerum condicione congruant et ideo conspicua sint atque animos nostros in se convertant. sic exempli gratia oratores, primo imprimis libro, praesagiente quasi animo futurum bellum definiunt, aut certe obiter et leviter res futuro tempore gestas indicant. Corcyraei igitur legati iam in oratione quam vere anni 432 Athenis habuisse dicuntur, de bello tanquam necessario et praesenti fere locuntur c. 33, 3 et 36, 1. iidem insulae suae opportunum situm praedicantes haec dicunt: τῆς τε γὰρ Σικελίας καλῶς παράπλου κεῖται (scil. Κέρκυρα) ὥστε μὴ ἐκεῖθεν ναυτικὸν ἐᾶσαι Πελοποννησίοις ἐπελθεῖν τό τε ἐνθένδε πρὸς τἀκεῖ παραπέμψαι, quibus indicare videntur res bello Archidamico gestas et etiam Atheniensium magnam expeditionem Siciliensem ac Syracusanorum naves auxiliares, quae superatis in Sicilia Atheniensibus in Graeciam venerunt. sic etiam Archidamus, cum verba faciat, ut deterreat Lacedaemonios a bello, c. 81 plurimas adfert res quae a scriptore ei inculcatas esse adparet. paragrapho igitur prima τὰς ἐσβολὰς indicat verbis: καὶ τῷ πλήθει ὑπερφέρομεν ὥστε τὴν γῆν δῃοῦν ἐπιφοιτῶντες, paragrapho quinta Niciae pacem: κἂν τούτῳ οὐδὲ καταλύεσθαι ἔτι καλὸν ἄλλως τε καὶ εἰ δόξομεν ἄρξαι μᾶλλον τῆς διαφορᾶς, paragrapho 6ª diuturnitatem belli: δέδοικα δὲ μᾶλλον μὴ καὶ τοῖς παισὶν αὐτὸν ὑπολίπωμεν, paragrapho 3ª sociorum Atheniensium defectionem: εἰ δ' αὖ τοὺς ξυμμάχους ἀφιστάναι πειρασόμεθα. set ne multa. nam in permultis orationibus similia inveniuntur exempla quae longum est omnia enumerare. conferas tamen velim has etiam paragraphos, quas sub finem dissertationis explicavi: l. I c. 77 § 6, c. 82 § 1, c. 122 § 1, c. 142 § 2 et 3: omnibus oratores notitiam belli Deceleici prodere videntur.

Deinde id commoneo, quod neminem debet fugere set multos fugisse videtur, Thucydidem quamvis saepenumero admoneat plures orasse unam tantum proferre orationem. sic igitur Cnemus Brasidas alii Peloponnesiacae classis duces ad milites orasse dicuntur l. II c. 86: παρεκελεύσαντο καὶ ἔλεξαν τοιάδε et tamen aput Thucy-

didem unam tantum legimus orationem capite 87 l. II. item Gylippus aliique duces ante Syracusas milites adhortati esse dicuntur, set una tantum invenitur oratio in opere Thucydidis (l. VII cc. 66—68). idem l. III cc. 53—59 Plataeensium unam orationem refert, set locuti sunt re vera duo, Astymachus Asopolai f. et Lacon Aeimnesti f. quos ipse nominat c. 55 § 5. et Thucydides alibi etiam sine dubio duas vel plures orationes in unam contraxit, licet id nullis verbis indicet. sic e. gr. ad Corcyraeorum et Corinthiorum legatorum orationem Athenis habitam componendam (l. I cc. 32—36, 37—43) omnia certe adhibuit, quae illi Athenis et omnino et praesertim duabus ecclesiis edixerant. Thucydides enim ipse duas commemorat ecclesias cap. 44 § 1: γενομένης καὶ δὶς ἐκκλησίας et in utraque Corcyraeos et Corinthios locutos esse verisimile videtur ex eadem paragrapho; in utra tamen Corcyraei et Corinthii ea verba fecerint, quae nobiscum communicat, neque illic neque c. 31 § 4 enunciat, ubi solum hoc est scriptum: καταστάσης δὲ ἐκκλησίας ἐς ἀντιλογίαν ἦλθον καὶ οἱ μὲν Κερκυραῖοι ἔλεξαν τοιάδε; itaque consilio videtur Thucydides edicere neglexisse, in utra ecclesia Corcyraei et Corinthii ea locuti sint quae legimus cc. 32—36, 37—43. nec sine causa, nisi fallor, Thucydides legatorum nomina ubique fere [1]) omisit. nam cum plures vulgo essent legati eique non suam set patriae urbis causam dicerent et saepius dicerent, in universa et communi, quam Thucydides effecit, oratione non potuerunt aptius adpellari, quam solo nomine urbis quam repraesentabant.

Talis et similis libertatis multa alia proponerem exempla, nisi timerem ne specie nonnullarum orationum in errorem ductus libertati adiudicem cuidam quae e vero sunt desumpta. sic anceps et dubium est quidquid de sermone sentis quem aput Thucydidem Athenienses legati cum Meliis conferunt magistratibus et optimatibus l. V c. 85 usque ad finem libri. mihi quidem Grotius egregie consilium illius dialogi inlustrasse videtur, set Classenus hoc negat etsi non redarguit. [2]) quid vero dicam de concione illa Lacedaemoniorum in qua secundum Thucydidem primum et multi alii socii et Corinthii atque Athenienses longissimas habuerunt orationes ad Lacedaemonios, deinde Lacedaemonii consilia belli tractarunt et iterum orationes duas audierunt Archidami et Sthenelaïdae et denique laesum ab Atheniensibus foedus bellumque eis inferendum esse

1) Plataeenses tantum legati, qui rem defendebant patriae urbis cum se dedisset, quos supra nominavi, et Athenienses Cleomedes et Tisias adpellantur, qui cum Meliis agebant de deditione.

2) Grote, hist. of Grece. VII p. 149 et p. 157—160. Classen I p. LXXV.

statuerunt? et constat Lacedaemonios inimicos fuisse eloquentiae amicos breviloquentiae. [1]) neque audimus quicquam aput Thucydidem de senatus consilio et decreto quod populi [2]) concioni permitti solebat, quodque is non nisi probabat aut improbabat. [3])

Neque etiam video quo modo Athenienses percipere potuerint, Corinthios esse locutos et quae essent locuti (c. 72 § 1: ὡς ᾔσθοντο τῶν λόγων), cum Lacedaemonii audita demum Atheniensium oratione socios dimiserint (c. 79 § 1). in oratione vero sua Athenienses et ipsi iterum praedicant: αἰσθόμενοι δὲ καταβοὴν οὐκ ὀλίγην οὖσαν ὑμῶν παρήλθομεν οὐ τοῖς ἐγκλήμασι τῶν πόλεων ἀντεροῦντες, ita ut videantur accurate novisse Peloponnesiorum et imprimis Corinthiorum opprobria. neque praetereundumst Archidamum et Sthenelaïdam certamine quasi quodam oratorio inter se disceptare contra Lacedaemoniorum morem, quamquam plurimis Lacedaemoniis Athenienses foedus 30 annorum laesisse visi sunt ante eorum orationes et bellandum hi esse perspexerunt solis sociorum querelis auditis (c. 79: καὶ τῶν μὲν πλειόνων ἐπὶ τὸ αὐτὸ αἱ γνῶμαι ἔφερον ἀδικεῖν τε τοὺς Ἀθηναίους κτἑ). an igitur putas Thucydidem totam concionem finxisse et orationes plane excogitasse? set tantum eius decreto tribuit pondus, ut illo ipso capite (c. 88), quo illud nobiscum communicavit, ad exponendam statim veram belli causam transeat et ab eodem decreto proficiscatur c. 118 § 3, cum sociorum conventum et simulatas de pace actiones Lacedaemoniorum adumbrare suscipiat (c. 119—127. 139—149) [4]). et absurdum est

---

1) Westermann, gesch. d. bereds. § 17, 4 et 62. Pfau adn. 37 et laud. ibi auct.

2) Si licet dicere populum eos, qui in ecclesia maiore conveniebant; qui enim convenerint ne nunc quidem constat. cfr. Schoemann, gr. alterth. I^3 247; de eccles. Lacedaemon. (in opusc. academ. I p. 87 sqq.) p. 89 sqq.

3) Schoemann, gr. alt. p. 248, de eccles. p. 101. Pfau l. l. p. 19 qui laudat Plutarchum vit. Lyc. c. 6. Pfavius et omnino copiose tractavit de nostra concione l. l. p. 16—23 et ut ego de ea quaererem me commovit. ubi cum eo consentio ne longus sim non indicavi. multa tamen falsa protulisse mihi videtur praecipue de Lacedaemoniorum ecclesiis, nec recte conclusisse, Thucydidem finxisse hanc concionem et omnes eius orationes, re vera unam fuisse concionem et sociorum quidem consessum, quem Thucyd. l. I c. 119 describit, ut Plutarchus in vita Pericl. c. 29 et Diodorus l. XII c. 39 (qui ex Ephoro haec sumpsisse videntur) unam tantam exhibent concionem et sociorum quidem conventum. equidem hanc eius conclusionem tacite argumentatione mea supra scripta in universum impugnavi; de ecclesiis autem Laced. conferendus et Schoemannus ll. ll; certa tamen sententia, ut ipse Schoemannus concedit (gr. alterth. p. 248 adn. 1), ne nunc quidem de ecclesiis, ut de plerisque Lacedaemoniorum rebus, potest expromi.

4) Aperte erravit Schoemannus cum, qui nonnunquam Lacedaemonios a magistratibus certiores factos de aliqua re consultanda in prima ecclesia non nisi

credere res etiam quasdam commenticias a Thucydide esse prolatas. hoc igitur potius conicere posse mihi videmur Thucydidem veritatem vulgarem ita postposuisse, ut ex pluribus orationibus aut dictis et conventibus unam concionem effecerit cum quattuor praeclaris orationibus, quibus, ante quam populi quo modo in se incurrerint narrentur, inlustrare voluit eorum ingenia et diversam rationem ac voluntatem. neque possumus praeterire quin dramatica fere inveniatur in eis compositio. id certe patet orationes quas ibi legimus eiusmodi esse, ut et oratores parati ad loquendum et gnari eorum, quae adversarii volebant proferre, convenisse videantur, et altera oratio ad alteram referatur, altera alteri et ita quidem opponatur, ut Corinthiorum opprobia l. I cc. 68 sqq., qui primi verba fecisse dicuntur, Archidamus c. 84 l. I refellat, cuius oratio tertio loco est posita, Atheniensium, quae secunda est, legatorum orationem l. I cc. 73—78 Sthenelaïdas oratione sua extremo loco posita redarguat.

Set plura exstant exempla eiusdem rationis. Diodotus enim oratione sua l. III cc. 42—48 Cleonis argumentationem et ratiocinationem falsam et impiam esse ostendens tam accurate redarguit, ut nullus melius potuerit vel optimus orator multum praemeditatus et commentatus gnarusque argumentorum adversarii. eodem modo Thebani l. III c. 61—67 Plataeensium argumenta accuratissime refellere et debilitare student. simili modo oppositae sunt orationes Niciae l. VI cc. 9—14 et 20—23 et Alcibiadis oratio cc. 15—19. splendidissimum autem exemplum praebet nobis oratio Periclis l. I cc. 140—144 cum illa Corinthiorum, quam legimus l. I cc. 120—124, conlata. ambas alio loco alioque tempore habitas esse constat; quae tamen Pericles inde a c. 141 § 2 usque ad c. 143 dicere fingitur, aperte Corinthiorum argumentationes spectant et refutant. idem vero Pericles etiam verbis l. II. c. 39 § 3 scriptis (sunt in oratione funebri) Corinthiorum verba l. I c. 121 § 4 refellere fingitur.

---

deliberasse, in altera demum consilium cepisse docebat, etiam aput Thucydidem contenderet p 106 (opusc. acad. I) „in prima concione non legem de bello ferri, set rogari tantummodo populum videmus, laesumne ab Atheniensibus foedus videatur, an non; de bello autem iubendo nova in aliud tempus ecclesia indicitur." set quae, quaero, est haec ecclesia? nam in conventu sociorum Lacedaemonii suffragia non ferunt, set iubent socios ferre (cfr. c. 119 § 1, c. 121 § 1). et quamquam Thucydides ambigue pluries Lacedaemoniorum decretum exprimit (c. 87 § 3, § 6; c. 118 § 3) diserte tamen c. 83 dicit: ἐψηφίσαντο δὲ οἱ Λακεδαιμόνιοι τὰς σπονδὰς λελύσθαι καὶ πολεμητέα εἶναι. idem legimus in Corinthiornm or. c. 120 § 1.

Quae cum ita sint in aperto est Thucydidem, quas et quo modo ei est visum, orationes conformasse et elaborasse, et simul perspicimus, accurata eum argumenta orationum descripta habuisse, antequam orationes dedolaverit, nec multo eum temporis spatio set uno quasi tenore eas elaborasse. alioqui nec tam apte argumenta disposita essent neque altera ad alteram oratio referretur neque altera alteram refelleret, quamvis longiore disiunctae sint narratione. accedunt vero etiam verba quibus nominatim fere Thucydides conclusionem nostram confirmat. in oratione enim quam Pericles ad Athenienses habuisse fertur quaque Athenienses admonentur ne Lacedaemoniis cedant et docentur quibus rebus freti se non inferiores futuros esse sperare possint, c. 144 § 1[a] haec legimus: πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα ἔχω ἐς ἐλπίδα τοῦ περιέσεσθαι ἢν ἐθέλητε ἀρχήν τε μὴ ἐπικτᾶσθαι κτἑ. ἀλλ' ἐκεῖνα μὲν καὶ ἐν ἄλλῳ λόγῳ ἅμα τοῖς ἔργοις δηλωθήσεται. quae verba cum aperte doceant dispositionem argumenti propriam Thucydidi esse, id ipsum etiam evidenter comprobant quod aliunde modo eruimus, Thucydidem conciones quas nunc habemus ita composuisse, ut argumenta uniuscuiusque antea breviter descripta aliquanto post artificiose u n o t e n o r e elaboraret.

Ipsa vero oratio l. II c. 13, quam daturum se esse Thucydides verbis illis l. I. c. 144 § 1 pollicetur, non est perfecta et absoluta set paucis paragraphis argumentum ita praebet, ut quod Pericles Atheniensibus dixit oratione obliqua proferatur suspensa a verbis προηγόρευε, παρῄνει, ἐκέλευε κτἑ. quam consilio, nisi fallor, Thucydides dicendi ornamentis distinguere vel elaborare neglexit, cum quae non sententias set numeros quasi praebebat parum ei apta visa sit, ut solito modo mutaretur. conferas etiam velim c. 69 l. V quo scriptor, quo modo singuli duces proprias gentes ante pugnam Mantineensem a. 418 adhortati sint, paucis enarrat, et l. VI c. 6 quo Egestaeorum orationem obliquo sermone breviter describit, cum quae ad initium Siciliensis expeditionis spectant per ἀντιλογίαν, si licet Thucydideo uti vocabulo, Niciae et Alcibiadis orationibus dilucide adumbrentur. alia talium orationum specimina invenimus in l. IV cc. 42 et 48 et 114 et l. V cc. 41 et 46 et l. VI c. 47 et l. VII cc. 21 et 47. [1]) quae quantopere ab illis di-

1) Nec diversae sunt pene paucae quaedam orationes directae brevissimae vel dicta virorum quorundam, quae propter argumenti proprietatem non potuerunt iudiciis, sententiis, dicendi variis figuris exornari. solum igitur pene argumentum accuratum directa oratione proponunt. cfr. Plataeensium et Archidami conloquia l. II cc. 71—4. adnumerandae sunt etiam fortasse paucae quaedam orationes ducum ut Teutiapli l. III c. 30, Hippocratis l. IV c. 25.

rectis differant, facile ex comparatione utriusque generis orationum potest perspici. obliquae enim orationes nec dicendi ornamentis sunt distinctae neque artificiose in partes distributae nec sententiis altis et sublimibus confertae, vel, ut paucis rem absolvam, argumenta sunt re vera habitarum et sententiarum continent conspectus, quae erant prolatae.

Quod si quaeras, cur Thucydides obliquas quas nunc habemus orationes in directas non mutaverit, cur et ipsas non elaboraverit artificiose nec suis sententiis exornarit, non dubito quin rectam causam nominaturus sim exponens, neque omnia argumenta apta fuisse quae fierent orationes ornatae (ut II c. 13) et res quibusdam locis narratas tam varias et multiplices fuisse et actionem depictam tam plenam et vividam ac necessariam, ut nullus esset locus intermissionibus intervallisque, quae iure habentur orationes directae Thucydideae choricis carminibus tragicis persimiles. (cfr. exempla l. IV, cc. 42 et 48 et V, 41 et 46). adde quod, ut supra ex l. VI c. 6 cognovimus, Thucydides, ne molestus esset, ea quae sibi satis depinxisse videbatur repetere noluit. idem autem cognoscere etiam licet ex c. 114 § 3: καὶ ξύλλογον τῶν Τορωναίων ποιήσας (scil. ὁ Βρασίδας) ἔλεξε τοῖς ἐν τῇ Ἀκάνθῳ παραπλήσια: post haec enim verba breve argumentum orationis ad Toronaeos habitae sequitur, cum Acanthi habita oratio directo fluat sermone et ornata sit sententiis et dicendi figuris. ut etiam supra vidimus, eandem fere fuisse Thucydidi causam cur non omnes orationes retulerit et plures in unam contraxerit.

Ex his vero omnibus quae adhuc disputavi id etiam sequi mihi videtur, ut Thucydides iam eo tempore, quo argumenta orationum contrahebat, amplificabat, distribuebat, in artificiosam formam redigebat, et ipsam literis consignatam habuerit rerum narrationem, ita ut eiectis orationibus obliquis perpolitas illas narrationi intermisceret mutatis quae in hac erant mutanda et fortasse aliis etiam. qui enim factum est, ut obliquas ibi legamus, ubi narrationis proprietati directae et perpolitae non videbantur respondere, ut salva narratione ex numero re vera habitarum orationum consilio aliae omissae, aliae paucis indicatae aliae complures in unam sint coniunctae, ut denique l. I c. 144 § 2 orationem exspectare iubeamur, quae ἅμα τοῖς ἔργοις δηλωθήσεται?

Set non opus est solis coniecturis servire. nam exstat liber totus qui, cum careat orationibus directis, exhibeat obliquas complures, et documento est recte nos rationis conclusione deductos de priore operis Thucydidei habitu iudicasse, et simul specimen dat

eius habitus dilucidum. Thucydidis autem esse hunc librum (de VIII libro verba me facere patet) nonnemo debet cognoscere et ex orationis colore et proprietate et ex eis quae cum ipse scriptor, qui c. 6 § 5 Thucydidem se esse profitetur [1]), tum alii veteres scriptores memoriae prodiderunt, neque operae pretium facerem, si virorum quorundam sententias refellerem, quos narrat Marcellinus § 44 aut filiae Thucydidis aut Theopompo aut Xenophonti librum VIII tribuisse[2]). orationum igitur penuriam, qua liber VIII laborat quaeque, nisi fallor, maxime viros illos, ut abiudicarent Thucydidi librum, commovit, ita cum Roschero aliis explico, ut Thucydidem subita morte absumptum secundam ei manum non admovisse dicam. idem autem elucet etiam ex multis asperitatibus, quas unusquisque in elocutione huius libri et rebus narratis invenire debet, quasque Roscherus et alii conlegerunt [3]). adde quod Poppo ante multos annos observavit, iam in VII° libro numerum et ambitum orationum valde exiguum esse et occasiones aliquas earum habendarum praetermissas [4]).

Set multis nihilominus consilio Thucydides nullas orationes libro VIII confecisse est visus. alii tamen aliud consilium vocarunt. quod quidem ad Cratippi interpretationem adtinet (ap. Dionys. Halicarnass. p. 847) neminem etiamnunc eam probare spero. qui nescio unde comperit aut conlegit, Thucydidem orationes ideo, quod molestas esse cognovisset aequalibus suis, in extremo libro non amplius posuisse. nec minus vero Goelleri (in vita Thucyd. p. 36) et, quod cum summa tanti viri reverentia dictum sit, Niebuhrii (Rhen. Mus. I, 198) sententiae sunt reiciendae. quorum primus cum annis 412 et 411 propriae eloquentiae campum non patuisse statueret propter clandestinas machinationes ac dominationem optimatium et ex eo penuriam orationum in Thucydideo libro VIII duceret, parum respexisse mihi videtur, in illo plura inesse lineamenta et semina orationum directarum, novem scilicet obliquas orationes[5]).

---

1) Haec tamen verba, ut omnia similia, Herwerdenum in suspicionem vocasse supra monui.

2) Refutavit eos Poppo, II, 1 p. 7 sqq.

3) Cfr. Jerzykowski, dissertatio, qua octavo historiae Thucydideae libro extremam manum non accessisse demonstratur. diss. phil. inaug. Vratisl. 1842 a.; Dietrich, quaest. Thucyd. Halis Saxon. a. 1873.

4) Poppo II, 1 p. 9 (cfr. etiam I, 1, 30, ubi parum quidem recte verbis corruptis, quae correctione egent, sententiam suam vult confirmare).

5) Cc. 27. 46. 48. 53. 63. 67. 76. 81. 86. in numero horum sunt nonnulla, quae certo non aliter atque nunc in retractato opere se haberent. alia quaedam

quod autem ad Niebuhrii opinionem adtinet, qui Thucydidem animo debilitatum et fractum remisisse studium quo antea flagrasset et res a. 412 et 411 gestas leviores fuisse contendit, quam quae possent incitare ad interponendas orationes, id primum interrogo, num possit credi reiecisse sponte Thucydidem, quae ex proprio ingenio et intima mente procreaverat. et cum res illis duobus annis gestas gravissimas ac tanti fuisse ponderis quanti res paucorum annorum huius temporis uberius demonstrare hoc loco mihi non sit licitum, Wattenbachii dissertationis „de quadrigentorum factione" mentionem facio, qua quales fuerint illi anni optime potest cognosci.

Superest Kruegeri explicatio defectus orationum [1]). quae in duobus consistere mihi videtur argumentis. alterum hoc est, quod Thucydides praecedentibus iam orationibus id adsecutus sit quod sibi proposuisset adsequi orationibus; alterum id, quod re vera nullae orationes dignae habitae sint, quae elaborarentur, resque et actiones narratae ita tulerint, ut nullis opus esset orationibus directis. quae quam falsa essent, ostenderunt Roscherus et Jerzykowscius l. l., licet Kruegerus brevissima quadam adnotatione in crit. anal. adscripta non refutatum se sibi videri ab illis contendat. ipse vero nihilominus infitias non it et orationem desiderari ante pugnam ad Cynossema commissam et totum librum minus ceteris limatum videri.

Itaque non dubito quin mihi liceat librum VIII tanquam nondum secundis curis elucubratum neque orationibus directis ornatum eo adhibere, ut confirmetur quod aliunde conclusi, priores etiam libros ita olim fuisse comparatos, ut argumenta tantum orationum narrationi essent inserta, et his fundamentis scriptorem deinde orationes longiores superstruxisse mutata narratione et ipsa, quibus necesse erat aut aptum videbatur ut mutaretur locis.

Existit iam igitur hoc loco quaestio illa subdifficilis (cuius maxime causa disputavimus quae adhuc disputavimus de orationibus) quo tempore Thucydides priorem suam historiam modo dicto elaboraverit. nam sextum et septimum librum in universum constat ea, qua nos habemus, forma scriptos esse post a. 404, etsi certos annos definire non possumus. priorem vero historiae Thucydideae partem aut aliquot certe eius libros post Niciae pacem conscriptos, post a. 404 pluribus supplementis adauctos et ceteroqui mutatos

---

non verisimile est perpoliturum fuisse Thucydidem. at suspicari licet his capitibus orationes directas eum conditurum fuisse; 27, § 1 sqq, 46; 48 § 3; 53; 76; 81. ut accuratius in hanc rem inquiratur ad nostram rem non interest.

1) Ad Dionys. Historiogr. p. 258—263. krit. anal. p. 71—77. Kruegerum secutus est Classenus in praef. adn. 78 et p. LXXXIX.

esse cum persuasum habeamus, quaerendum esse nunc videtur, utrum hoc ipso demum tempore etiam orationes in artificiosam formam sint redactae an iam aliquanto ante.

Quae quaestio ut possit ad liquidum perduci, inspiciendae sunt orationes ipsae, imprimis orationes libri I[i], quibus scriptor cum belli succedentem expositionem inlustrare vellet, quid de eo sentiret leviter, ut iam dixi, indicavit et ita quidem, ut ex his indiciis coniecturam facere possimus, bellumne habuerit in mente 10 annorum an 27 annorum. et ego eas inspexi, quaeque indagavi ea sunt, ut multa verba post a. 404 composita habeam. quae hic adscribo.

In oratione legatorum Atheniensium, l. I c. 77 § 6 legimus haec verba[1]): ὑμεῖς γ' ἂν οὖν εἰ καθελόντες ἡμᾶς ἄρξαιτε, τάχα ἂν τὴν εὔνοιαν ἣν διὰ τὸ ἡμέτερον δέος εἰλήφατε μεταβάλοιτε. ea nos suspicari iubent Thucydidem exitus belli Deceleici rationem habuisse. ipsum vero bellum Deceleicum spectare videntur verba legatorum Corinthiorum, l. I c. 122 § 1: ὑπάρχουσι δὲ καὶ ἄλλαι ὁδοὶ πολέμου ἡμῖν ξυμμάχων τε ἀπόστασις μάλιστα παραίρεσις οὖσα τῶν προσόδων, αἷς ἰσχύουσι καὶ ἐπιτειχισμὸς τῇ χώρᾳ ἄλλα τε ὅσα οὐκ ἄν τις προΐδοι, ad quae respondet Pericles l. I. c. 142 par. 2 et 3, quibus cur Lacedaemoniorum ἐπιτειχισμὸν non necesse sit ut Athenienses metuant exponit, et par. 4: φρούριον δ' εἰ ποιήσονται τῆς μὲν γῆς βλάπτοιεν ἄν τι μέρος καταδρομαῖς καὶ αὐτομολίαις οὐ μέντοι κτέ; quae et ipsa nos commovent, ut scriptorem de Deceleae munitione et sociorum Atheniensium defectione cogitasse opinemur. quid enim? num potuit haec scriptor praedicare post belli Archidamici finem? non credo. nam hoc tempore Lacedaemonii multos quidem Atheniensium socios temptarunt, set perpaucos ad suam causam perduxerunt, neque unquam re vera ad munitionem alicuius loci adierunt; nihil certe aput Thucydidem in ll. II—IV de tali eorum conatu legimus. Alcibiades demum cum Spartam fugisset commovisse eos fertur, ut Deceleam occuparent (Thuc. l. VI c. 91 § 6).

Ad plane idem iudicium pervenimus ex verbis Archidami l. I c. 81 § 1: εἰ δ' αὖ τοὺς ξυμμάχους ἀφιστάναι πειρασόμεθα, δεήσει καὶ τούτοις ναυσὶ βοηθεῖν. naves enim ad socios non miserunt Lacedaemonii ante belli Deceleici initium. ad id vero bellum etiam reicimur verbis quae supra ex Corcyraeorum orationis c. 36 § 2

---

1) Nonnulla verba protulit etiam Classenus, praef. p. XLVIII et Κυπριανός l. c. p. 22, uterque ut totam historiam post a. 404 scriptam esse demonstraret.

exscripsi: τῆς τε γὰρ Σικελίας καλῶς παράπλου κεῖται (scil. ἡ Κέρκυρα) ὥστε μὴ ἐκεῖθεν ναυτικὸν ἐᾶσαι Πελοποννησίοις ἐπελθεῖν τό τε ἐνθένδε πρὸς τἀκεῖ παραπέμψαι, quibus iam diximus et Atheniensium magnam Siciliensem expeditionem et auxilium significari, quod Syracusani a. 412 Lacedaemoniis miserunt.

Deinde respicienda sunt verba l. I. c. 144 § 1: μᾶλλον γὰρ πεφόβημαι τὰς οἰκείας ἡμῶν ἁμαρτίας ἢ τὰς τῶν ἐναντίων διανοίας, quae ut simillima sunt l. II c. 65 par. 7ae post a. 404, ut certissimum est, scriptae (ὁ μὲν γὰρ ἡσυχάζοντάς τε καὶ τὸ ναυτικὸν θεραπεύοντας καὶ ἀρχὴν μὴ ἐπικτωμένους ἐν τῷ πολέμῳ ἔφη περιέσεσθαι) ita eo ducunt ut suspicemur, Thucydidem cum utrumque caput scriberet et expeditionis Siciliensis et belli Deceleici eventum in mente habuisse. quid igitur mirum etiam quibus locis diuturnitas belli praedicatur, ut in Archidami oratione, l. I cc. 80 et 81, paesertim § 6, et in Periclis or., l. I c. 145 § 5, per viginti septem annos bellum Peloponnesiacum durasse nos recordari? (cfr. velim l. II. c. 65 § 12). adicias denique, quaeso, verba ab Archidamo l. I c. 82 § 1 pronunciata: ἀνεπίφθονον δὲ, ὅσοι ὥσπερ καὶ ἡμεῖς ὑπ' Ἀθηναίων ἐπιβουλευόμεθα μὴ Ἕλληνας μόνον ἀλλὰ καὶ βαρβάρους προσλαβόντας διασωθῆναι, quae ad alterum potius bellum pertinere videntur, cum barbari Deceleici demum belli tempore Lacedaemoniis auxilio essent, licet hi ipso initio belli Archidamici legatos ad regem miserint. facta est igitur alibi etiam in universum barbarorum mentio eis maxime paragraphis, quae post a. 404 compositae sunt, ut l. I c. 1 § 2 et l. II c. 65 § 12 extr.

Alia quae leviora videntur esse praetereo. neque etiam argumentum peto ab Hermocratis verbis pacem inter Sicilienses componentis, l. IV c. 60 § 1: οἳ (scil. Ἀθηναῖοι) δύναμιν ἔχοντες μεγίστην τῶν Ἑλλήνων τάς τε ἁμαρτίας ἡμῶν τηροῦσιν ὀ λ ί γ α ι ς ν α υ σ ὶ παρόντες, quae a Thucydide ingentem expeditionem Siciliensem respiciente in Hermocratis ore sub a. 424 posita esse bene observavit Grotius [1]). nam librum IV non tam certo potuimus ostendere confectum esse post Niciae pacem, ut nunc eum eiusque orationes adhibere possemus ad enodandam quaestionem, quo tempore lima persecutus sit Thucydides eas orationes, quas haut multo post Niciae pacem una cum narratione conscripserat.

Ita iam vero hanc quaestionem enucleasse mihi videmur, ut summae faciendae causa conligamus, et omnes orationes directas non sine libertate quadam dedolatas esse a scriptore ex orationibus obliquis,

1) Cfr. histor. Graec. Germ. vers. Meissneri, Lipsiae 1854, IV vol. p. 107 adn. 41.

quae libri VIII orationibus persimiles fuisse ac cum narratione coniunctae argumenta fere tantum comprendisse videantur, et in orationibus prioris historiae partis potisimumque ll. I et II plura inesse, quae a scriptore totius belli gnaro viris, qui verba faciunt, tributa esse nisi sit certum, sit verisimillimum. inter omnes vero constat cunctarum orationum eundem esse colorem et elocutionem eandemque cerni in omnibus cogitandi rationem [1]), neque ea iudicia et sententias, quae insunt in orationibus ll. I[i] et II[i], differre a sententiis orationum et expositionis Thucydideae, quae certo sunt post a. 404 conscriptae, imo vero quam maxime cum eis congruere et consentire [2]). itaque nescio an iure possimus etiam concludere, orationes prioris historiae Thucydideae partis et potissimum orationes ll. I et II in retractandis et limandis libris (quod factum esse cognovimus post a. 404) in eam esse artificiosam formam redactas, quae hodie exstat summa digna admiratione et laude. qui autem possit mirum videri orationes expolitione esse distinctas multo post quam erant compositae? supra enim intelleximus etiam et prooemium et adumbrationem ingenii et indolis Periclis aliaque capita alti et sublimis argumenti, quae verum efficiant historiae Thucydideae decus, et ipsa adiecta demum esse a Thucydide extremum perpoliendi operis laborem adhibente [3]).

---

1) Cfr. Pfau l. l. p. 6—12. Heimann, l. l. p. 33—39.

2) Ut Pericleae orationes, maxime ultima l. II c. 60—64, idem promulgant atque quod Thucydides ipse in Periclis descriptione l. II c. 65 § 5—13 pronuntiavit.

3) Typos corrigens accepi Breitenbachii brevem commentationem de Thucydideae historiae aetate (Fleckeis. annal. pars 3 et 4 a. 1873). ille quidem dissentit a sententia, quam omnes adhuc de l. VIII habebant; scriptum eum esse dicit a. 411—405, continenterque Thucydidem in ipsa historia conscribenda occupatum fuisse contendit quae quamvis concedere ei non possim praetereunda censui, ne adnotatio haec extra solitum spatium excederet. at de orationibus l. VIII et de tempore prioris historiae partis in universum idem atque ego iudicavit.



Argumentum.



SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Thuc. V, 40, 2, verba: πρότερον ἐλπίζοντες — fin. § subditicia sunt.

II. Περὶ πολιτ. Ἀθην. incerti auctoris c. I § 14 nunc lacunosa et depravata ita fuit scripta, ut οἱ πονηροί dicerentur ἐκπλέοντες odisse τοὺς χρηστούς sociorum.

III. Petron. sat. c. 10 init. post verba 'poëtam laudasti' desunt quaedam.

IV. Historia cum vera sit disciplina, propria neque ea ratione vult tractari, qua tractantur disciplinae quae naturae investigatione continentur, quaque tractandam eam esse Buckle censuit.

V. Thucydides historiam aa. 422—418, sive l. V, ex Lacedaemoniorum maxime narratione composuit neque tamen absolvit, erratque Mueller-Struebing (Aristoph. u. d. histor. Krit., Lpzg. 1873, p. 384—483) consilio eum saepius, ut in enarrandis rebus aa. 422 et 418, res magni momenti, quae ei displicebant, praeteriisse contendens.

VI. Restitutionis quod vocatur edictum minime iustum fuit nec consensit cum religionis pace Augustana.

VITA.

Natus sum Ludovicus Ćwikliński Gnesnae a. d. VI kal. Augustas a. 1853 patre Adalberto matre Caecilia de gente Buszkiewicz, quos ambos etiamnunc vivere vehementer gaudeo. fidem profiteor catholicam. primis literarum elementis in scholis elementariis imbutus auctumno anni 1863 in gymnasium patriae urbis receptus sum, quod ipso illo tempore conditum floret etiam auspiciis v. cl. Julii Methneri. eius etiam gymnasii primum me laetor discipulum honores academicos esse adepturum. vere a. 1870 maturitatis testimonio instructus Vratislaviam me contuli, ubi per bis senos menses docentes audivi vv. dd. Bittnerum, Hertzium, Nehringium, Neumannum, Oginscium, Reifferscheidium, Rossbachium; per unum semestre proseminarii philologici sodalis fui. vere anni 1871 Berolinum migravi civibusque universitatis huius Fridericae Guilelmae adscriptus per quinque semestria scholis interfui vv. dd. Bresslavii, Curtii, Droyseni, Hasselii, Hauptii, Huebneri, Kiepertii, Kirchhoffii, Mommseni, Nitzschii, Schoelii, Zelleri. per ter senos menses seminarii philologici sodalis ordinarius fui, per duo semestria Huebneri philologicis, per unum Hasselii historicis, per unum Zelleri Aristotelicis exercitationibus interfui. praeterea Droysenus et Nitzschius aditum mihi aperuerunt ad societates suas historicas, quarum etiamnunc sum sodalis.

Horum omnium virorum memoriam pio gratoque animo semper colam; imprimis Hauptius et Kirchhoffius, seminarii philologici rectores, et ei praeceptores qui benigne concesserunt, ut exercitationibus interessem, singulari benevolentia, qua studia mea adiuvabant, in perpetuum me sibi devinxerunt.

